ARISTOTELIS PERI HERMENIAS LIBER ANITIO MANLIO SEVERINO BOETIO INTER, PRETE: PARAPHRASI MICHAELIS PSELLI PERIPATETICI, NVNC PRI- MVM LATINITATE DONA- TI, ILLVSTRATVS.

Restitutio quoque locis omnibus qui in alijs impressis exemplaribus corrupti habebantur.



Ne quis hunc vsquam alius suæ ditionis locorum impune librum imprimat, alibi ue impressum vendat, Pontificis Maximi, decreto cautum est.

Venetijs apud Hieronymum Scotum.

M. D. XLI.

ARISTOTELIS

PERI HERMENIAS LIB.

SECTIO PRIMA.

De signis.



1 RIMVM *Oportet constituere quid sit nomen, & quid verbum,*
2 *postea quid est negatio & affirmatio, & enunciatio & oratio. Sunt*
ergo ea quae sunt in voce earum quae sunt in anima paßionum notae:
3 *& ea quae scribuntur, eorum quae sunt in voce. Et quemadmodum*
nec literae omnibus eaedem, sic nec eaedem voces. Quarum autem hae
primum notae sunt, eaedem omnibus paßiones animae sunt: & quarum
hae similitudines, res etiam eaedem. De his vero dictum est in ijs qui
4 *sunt de anima: alterius enim est negotij. Est autem quemadmodum*
in anima aliquando quidem intellectus sine vero vel falso, aliquando autem cui iam necesse est bo-
rum alterum inesse: sic etiam in voce. Circa compositionem enim & diuisionem, est verum & fal-
5 *sum. Nomina igitur ipsa & verba consimilia sunt, ei (qui sine compositione & diuisione est) in-*
tellectui. ut homo uel album, quando non aliquid additur. neque enim falsum, neque uerum adhuc
est. signum autem huius est. hirco ceruus enim aliquid significat, sed nondum uerum aliquid, uel fal-
sum, si non uel esse, uel non esse, addatur uel simpliciter, uel secundum tempus.

ANtequam examussim propositiones tum affirmatiuas tum negatiuas, ad haec uniuersales & particulares expono: simplices uoces, ex quibus huiusmodi propositiones coalescunt, explicare ac definire par est. Primum, scilicet nomen, utpote quod uerbo sit imperfectius. Nam illud & subiacet, & aliunde mutuatur: hoc autem & praedicatur, & transfundit: Deinde uero propositiones, quas huiusmodi conflant uoces: Subhęc harum genus, puta enunciationem: Postremo huius quoque genus, orationem. Sed quoniam de uocibus non significatione cassis ac uanis, uerum de significatiuis nunc disserimus, sciendum quod cum quatuor haec omnino sint, Res, Intellectus, Voces, & Literae (Nam & has merito in hunc numerum cooptamus, quod ad probandum uoces ex instituto esse conducant) Res utique & intellectus, quoniam apud omnes eadem existunt, natura profecto sunt: Voces autem (ea scilicet quę sunt in uoce) nomina inquam & uerba: nam utroque sane modo dicatur: adhęc literae, quoniam non apud omnes eaedem sunt, instituto cênsentur. Verum & uoces, nomina scilicet & uerba, quae in uoce ut materia sedent haerentque, diuersis proinde idiomatis appellationibusque partiuntur, itidem literae quoque uariis subinde scriptionis characterumque lineamentis distinguuntur. Igitur ea quę sunt in uoce, animę passionum, id est, conceptuum, nimirum ob phantasticam mentem, quodque ea cum distinctione ac partitione res efformet, sunt notae. Quae uero scribuntur, signa rursus sunt uocum. Et quemadmodum non apud omnes sunt eaedem literae, itidem nec uoces: quarum illae quidem notae sunt, apud omnes similes habentur. Porro quoniam uoces primum & continenter conceptus significant, & horum tanquam interiectu & interuentu res: quorum, id est, conceptuum primum notę sunt ea quę sunt in uoce, conceptus certe illi eaedem sunt omnibus passiones: quarum autem rursus rerum conceptus ipsi sunt imagines, simulacra pura, atque in totum similitudines, illae certe quidem res omnibus sunt eaedem. Verum his de rebus, phantastica nempe anima, eiusque notionibus, in commentatione de anima a nobis dictum est. Cęterum quemadmodum in anima est interim simplex nominis & uerbi intellectus, neque uerus usquequaque neque mendax: interim autem coniunctus ex his & consertus, cui ueritatem ac mendacium inesse necesse est: sic etiam in uoce, interdum simplex est uel nomen uel uerbum, falso ueroque uiduatum: interdum cõplexio ex his iuncta, uerum



aut falsum enuncians. Neque enim simplici in nomine uel uerbo falsum aut uerum deprehendas: sed circa affirmationem, cui compositio & negationem, cui diuisio nomen est. Nam illa quidem prædicatum subiecto cõmittit, & tanquam componit: ideoq; Compositio usurpatur. Hæc autem particulæ inficiantis adiunctione, quæ uerbo præponitur, dissecat & diuidit: ideoque Diuisio uocatur. Ipsa igitur simplicia nomina & uerba assimilia sunt simplici nominali aut uerbali animæ notioni. hæc utique uox homo, quæ nomen est, simplici nominis in anima conceptui: item hæc quoque uox albus, quæ quoniam prædicatur, uerbum est, simplici uerbi in anima notioni. Huiusmodi porro nomina & uerba, nisi quandam sane additionem, uel primigeniam ac primitiuam, uel adeo deductitiam sortiantur, neque uerum neque falsum exprimunt: neque tamen protinus significatione prorsus carent: uerum ut partes, signa quoque sunt ac notationes partium: Socrates nimirum, notionis huiusce nominalis: ambulat, huiusce uerbalis. Quod autem nec nomina nec uerba seorsum sumpta, aut mentiantur aut uerum efferant, argumento sunt uoces compositæ. Si enim Tragelaphus uox utique composita, neque mendacium neque ueritatem enunciat: multo minus nomina simplicia, & prorsus incomposita, ut Socrates & Plato. Si nãq; ea quæ magis propositionibus finitima accedunt, cõposita scilicet nomina, ueri falsiq; ex æquo inania sunt: cur nõ potius longe ab illis dissita, & uero ob id simplicissima ueritate ac falsitate carebunt? Hinc adeo Tragelaphus, quoniam conceptum prodit, significat quidẽ aliquid, nempe impressam ac informatã in mente phantastica Tragelaphi notionem: neque tamẽ uerum aut falsum indicat, nisi uerbũ illi sit adiunctum, uel priuarium, ut est, aut nõ est: aut deriuatiuum, ut mouetur aut nõ mouetur. Bifariam uero fit adiunctio: nã aut infinita est, ut Tragelaphus erat, est, erit. Id enim innuit uel simpliciter: Aut finita, & secũdũ tempus, ut erat heri Tragelaphus, & hoc tẽporis articulo est, & cras erit.

De Nomine.

6 *Nomen igitur est vox significatiua secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significa-*
7 *tiua est separata. In nomine enim quod est equiferus, ferus per se nihil significat, quemadmodum*
in oratione quæ est equus ferus. At vero non quemadmodum in simplicibus nominibus, sic se habet
in compositis. In illis enim nullo modo pars significatiua est: in his autem vult quidem, sed nullius est,
separata. vt in eo quod est equiferus hoc quod est ferus. Secundum placitum vero quoniam natura,
nominum nullum est, sed quando fit nota. quoniam designant & illiterati soni, vt ferarum, quorum
8 *nihil nomen est. Non homo vero non est nomen. at uero nec positum nomen est, quo illud oportet*
appellare. neque enim oratio, neque negatio est. sed sit nomen infinitum, quoniam similiter in quoli-
9 *bet est & quod est & quod non est. Catonis autem & Catoni & quæcunque talia sunt, non sunt*
nomina, sed casus nominis, ratio autem eius est, alia tamen sunt secundum seipsa: quoniam cum est,
uel fuit, uel erit, neque uerum, neque falsum est, nomen uero semper. ut Catonis est, uel non est, non
dum enim aliquis neque uerum dicit, neque falsum.

Quoniam nomẽ compositum est, simplici nimirum uoce coniunctum, & certa quadam uoculatione, diserta scilicet articulataq; locutione, materia sane ac forma cõstat: sed in compositis potiorem forma rationẽ obtinet, inferiorẽ materia. Potior igitur & antiquior articulata locutio, simplici, quæ in ipsa cõtinetur, uoce. ideoque illa formæ rationẽ obtinet, materię autẽ uox. atque ita uox materia nominibus & uerbis subiacere deprehẽditur. in totum autẽ, uniuersalis uox, ad eam quæ in nomine & uerbo est, uocẽ collata, generi cõparatur. Nec uero in dissentaneam incurrimus cõtentionem, cũ rem eãdem & materiam & genus uocamus, utpote nõ ad idem, sed aliud atq; aliud relatam. Etenim ad uerbũ & nomẽ uox particularis aut tota relata, materiæ cũ instar sit, ad formã sese utiq; habet: ad particularẽ uero, quæ in nomine est ac uerbo, uocẽ collata uniuersalis uox, genus est. Est ergo nomẽ uox aliquid significans subiectum, cuius est & notatio: nõ id quidẽ natura, sed institutione, uidelicet positu. Nec uero hic Platoni Philosophus refragatur, etiamsi ille natura prodit nomina esse, hic positione docet. Etenim Plato in Cratylo quoniam peritum nominũ impositorẽ informat, perite illũ quoq; & scite nominũ positionibus, adeo ut cuiusq; naturã cõtingant, uti subigit: ideoq; nomina esse natura censet, Philosophus autẽ, id certe nõ abdicat, si modo inter sapientes honorarium arbitrũ agere decet, docet tamẽ quod qualia illa cũq; nomina sint, ho-


minum inuento iudicioq; cõstant: atqui iudicio quæ cõstituuntur & absoluuntur, eorum sunt, quæ institutione, nõ natura censentur. Nihil igitur obest, quominus idem & instituto & natura esse dicamus, dum ad aliud modo, atq; aliud tum nomina tum uerba audiamus. Sed quatinus uerba uoces sunt, & diserti conceptus effecta, huiusmodique potissimum affectionem designant, secundaria deinde ratione etiam tempus tum præsens, tum circunstans, nomina autẽ etiam si tempus sæpenumero uel iuxta ipsum quoq; temporis nomẽ denotant: nõ tamẽ ipsum perinde ut uerba, neq; certam quãdam insinuant affectionem: ideo sine tẽpore Philosophus nomina esse asserit.

Sed cũ omne nomẽ aut simplex sit, aut cõpositum: in simplicibus utiq;, nihil in totũ partes discretæ significant, in cõpositis, significare quadamtenus gestiunt, sed cum nondum hæ a quoq̃ disiunctæ fuerint. Nam facta a cõposito distractione, partes quod ad cõpositi naturam spectat, nõ significant. Nam hippos. i. equus, cum a dictione Calippus, nõ distractũ sit, quiddã significare gestit, rem nempe subiectam: sed cum abiunctũ sit, quod ad cõpositi uim attinet, nihil notat. hoc enim uel cũ substantia qualitatem signat, uel forte nomẽ est, quod de homine dicatur: illi autẽ quid tandẽ, uel cũ homine, cui nomẽ est Callippus, uel cũ specioso equo cõmertii erit. Cæterũ huiusmodi hallucinatio in nominibus duntaxat coniunctis nõ citra rationẽ esse solet, in simplicibus uero omni defungimur tumultu. Philosophus autẽ sui interpres, quinam secũdũ positionẽ in finitione posuerit, explicans, nõ natura ait nomina esse, sed cum a diserta mente, tanquam fabricata & effecta sint, statim notas, nec protinus similitudines deprehendi. Cæterũ nominibus authoritatẽ nõ ex alicuius significatione, sed ex ipsa positione cõstare. Etenim si ex rei nota nomina designemus, forsitan inscriptiles tum sonos aliquid significãtes nomina dicamus: quorũ utiq; sonorũ nihil nomẽ appellatur. Verumenimuero nõ homo, & si nominis speciem titulumq; exhibet (nam & nominũ regionẽ occupat, & aliquid significat, etiam si infinitum, uerũ aliquatenus in eo ipso q infinitũ est, tamẽ circũscriptũ) neutiquã est nomẽ: homo enim de his duntaxat quæ sunt dici, nõ homo uero & de his quæ sunt & nõ sunt prædicari possit. Neq; igitur nomẽ est, neq; item uerbũ, cũ nec prędicetur, nec tẽpus designet: sed nec affirmatio, quoniã nec uerũ, neq; falsum enunciat: nec itẽ negatio, tum ob id quod dictũ est, tum quod inficiante particula nõ, eiecta, quod reliquũ est, affirmatiuũ, enunciatum nõ existat: nec uero enunciatio, quoniam affirmationis & negationis genus nõ est: nec sane oratio, quia nec uocatiua, nec cõpellatiua, nec deprecatiua, nec aliarũ ulla orationis forma: neq; postremo enũciatiua. Qui tãdem igitur uocabimus? nomẽ infinitum: nomẽ quidẽ, ut uocẽ, ut significatiuã, ut instituto, ut sine tẽpore: infinitũ uero, ut in quãdam infinitionẽ animũ nostrũ reuocãs, nec ullatenus phãtasiam nostrã circũscribens, aut ad id cõtrahens de quo ipsum prædicare possit.

Casus autẽ nomina haudquaquã uocari debeant, siquidẽ cũ uerbo iustã ac integrã propositionẽ nõ cõstruunt, sed aliqua extrinsecus additione egent. Nam Socrates est, in solidã integratũ est propositionẽ: at, Socratis est, quodam foris adminiculo eget, ut uel liber uel ager. quanq̃ cætera quæ in nominis finitione habẽtur, cũ casibus cõspirant & quadrant. Hoc uero solũ a nomine differunt, quod cũ uerbo propositionẽ nõ cõstituant, nomẽ autẽ cõstituat. Itẽ nomen cũ uerbo aut uerax est aut mendax: nam, Socrates est, & Socrates nõ est, alterũ horum uerũ falsum ue enunciat. at, Socratis est, aut Socratis nõ est, neutrum neq; uerax est neq; mendax, nisi quid extrinsecus adiunctum sit. Ideoque Casus nominis nõ dignatur nomẽclatura philosophus, utpote qui nõ illius momentũ uiresque in propositionibus sortiantur.

De Verbo.

10 *Verbum autem est quod consignificat tempus, cuius nulla pars significat extra, & est semper eo-*
11 *rum quæ de altero prædicantur, nota. Dico autem quoniam consignificat tempus, vt sanitas quidem nomen est, sanatur vero verbum. consignificat enim nunc esse, & semper eorum quæ de altero*
12 *dicuntur nota est, vt eorum quæ de subiecto vel in subiecto sunt. Non sanatur vero, non ægrotat, non verbum dico. Consignificat enim tempus, & semper de aliquo est. Differentiæ autem huic, nomen positum non est: sed infinitum verbum sit, quoniam similiter in quolibet est, & quod est, &*
13 *quod non est. Similiter autem & sanabitur & sanabatur non verbum est, sed casus verbi. Differunt autem a verbo, quod hoc quidem præsens consignificat tempus, illa vero id quod circumcirca*
14 *est. Ipsa igitur secundum se dicta verba, nomina sunt, & significant aliquid: cõstituit enim qui di-*



cit intellectum, & qui audit quiescit. sed si est, vel non est, non ſum significat. neque enim signum est rei, esse vel non esse: nec si hoc ipsum est, purum dixeris. ipsum enim nihil est, consignificat autem compositionem quandam, quam sine compositis non est intelligere.

Verbũ est quod cũ actionis & passionis significatione, prȩterea tempus præcipue subnotat, quo quis agit. Nam cætera quæ in reddita nominis finitione sunt, cũ uerbo cõmunicantur, ut uox, significatiua, ex instituto. uerum ex propriis ipsum finire par est. Proprium autem eius est tempus insuper designare, quoniam nomẽ absq; tẽporis designatione effertur, uerbũ autẽ tempus cõsignificat. Quod autem (CVIVS nulla pars seorsum significat) addiderim, quod & ipsum in nominis finitione situm est, perinde ac si uel omnia uerbo adponere finitionis cõmunia necesse sit, uel propria dũtaxat, mirari nõ debes: ne enim audita ex meris uerbis propositione, cuiusmodi est, Philosophari est beate uiuere, mox cõturberis, perinde ac uerbũ aliquod ab ea diuulsum significatiuũ reperire liceat, ideo adiunctum est (Cuius nulla pars seorsum significat) ne forte diuersis coagmẽtatam uerbis propositionẽ, uerbũ dici putet: sed huiusmodi, si placet, ex uerbis complexionẽ si reperias, Propositionẽ appella: Verbum autem, quod solum de nomine prædicatur. (Consignificat autem tempus,) Si meam quidem enucleare mihi finitionẽ licet, ad nominis distinctionem adieci, quãdoquidem hoc tẽpus utiq; nõ annotat, illud autẽ præterquã quod potissimũ actionẽ & passionem prodit, una quoq; tẽpus significat: idq; ex sanitate nomine, & sanor uerbo liquet. Est autem semper Verbum eorum, quæ de altero dicuntur, nota. corũ quidẽ nota, ut quod de substantiis prȩdicetur, nõ prædicatis subiiciatur. (Semper) autem ad nominũ differentiam, quæ sæpenumero & de quodam prædicantur, & eidem uicissim subiiciuntur. in hoc enim pronunciato, Socrates albus, uerbũ audire debes albus, ut quod prædicetur, subiectum autẽ Socrates: sed & ordinẽ inuertere licet, & eam, quæ prȩter naturã dicitur, prædicationem cõficere. ut, hoc album Socrates est, hic subiectum utique prædicatum, ac uicissim prædicatum subiectum est factum. Sed hic, Socrates ambulat, nõ item: siquidẽ semper ambulat de Socrate prædicatur. ideo in finitione mihi (semper) adiectum est. Cæterum præcipue ac proprie illa quæ nomine & uerbo cõstat, Propositio est: uerbo utique nõ miscello, ut quod interim nominis speciem reprȩsentet, cuiusmodi τὸ εὐδαιμονεῖν. i. beate uiuere. Nam hoc quidẽ infinitiui cum sit modi, qua tempus consignat, in uerba adlegitur: qua uero cum articulo cõponitur, nominibus adnumeratur. Ideoq; in propositionibus quas istiusmodi uocabula cõstruunt, uerbo, est, egemus. Sciendũ quemadmodũ ex nominibus quȩdam iuxta substantiam de quibusdam prædicantur, ut de formis genera: quȩdam rursum in substãtia, ut accidentia de subiectis: illic, ut animal de Socrate: hic, ut album de Platone. Itidem ex uerbis quoque alia de subiecto dici, alia in subiecto. De subiecto nempe ea, quæ subiecta, de quibus dicuntur, conformant & cõplent: ut moueri de uerbo hoc ambulare: nunquã enim est ulla absque motu ambulatio: in subiecto autem, quæ subiecti substantiam nõ complent, ut ambulare de Platone dictum, substantiam eius nõ cõformat. nihilo enim minus etiam, cum nõ ambulat, est Plato. Nõ ualet autem, & nõ ægrescit, etiam si illa quidem ipsa uerba sunt, utpote quæ & tempus cõsignificent, & de aliis semper dicantur, ut Socrates nõ ualet: nõ tamẽ finita uerba sunt, siquidẽ uerba in his dũtaxat quæ sunt, assumuntur: uerbi gratia, ualere in iis quæ sunt, & sanitatis capacia feruntur: nõ ualere autem, & de his quæ nõ sunt iuxta, & de his quæ sunt prædicatur. Aio enim ex æquo & nõ ualere Platonem, & nõ ualere formicoleonem. cõsentaneum siquidẽ quod nõ sit, nõ sanum esse. Valebat autem & ualebit, cætera cum uerbo ualere cõmunia habent: utraque enim positione constant, uoces sunt, significatiuæ, & reliqua deinceps quæ in finitione habentur. Differunt autem a ualere, ea quæ circumiacent: quatenus instans unum finitum ac destinatum est: multiplicia & numerosa tum futura tum præterita, infinitatem habent. ideo tempora istæc, uerba nominare nõ decet, sed casus uerbi, id est, prȩsentis. Casus utique, quia a prȩsenti exciderunt, ut genitiuus & datiuus aliiq; deinceps casus uocantur, quod a recto ceciderunt. Paulo enim inusitatius in uerbo casus pro formatione usurpaui. Illud autem etiam sciendum, quod ex dialecticis uocibus, nomine inquam & uerbo, nomen subsistentiam solam indicat, uerbum cum subsistentia relationem. Verum in perfecto hocce enunciato, Socrates ambulat, ipsum ambulat relatiuum magis intelligitur, non perinde etiam substantiuum: decetque ab eo, quod potius est, totum relatiuum nuncupare. Cum autem ipsum per se uerbum a nominis nexu seiunctum enunciatur, substantiuum magis, quam relatiuũ intelligetur. Quoniam igitur subsistentiam tum magis denotat, nomina autem subsistentiæ defi-

gnatiua sunt: uerbum scilicet tum merito nomen uocari debeat, significat enim quidpiam. Nam qui solitarium tunc uerbum profert, ut ambulat, ambulantis intellectum a multis actionibus in unum ambulandi actum sistit. aut sic, pronunciatione actionis aut passionis significationem constituit uulgatius ac protritius uerbo ἵστησιν pro περιΐστησιν idest constituo accepto, aut sic, nam multis id modis interpretari conuenit: pallantem & errabundam rogantis mentem quid agit Socrates? propterea quod eum multa agere animo suspicetur: qui illum philosophari respondet, sistit, nec eius animum diuagari finit. Quo protinus audito, qui rogabat, acquieuit, nihil anxie aliud inuestigans. Caeterum & si uerba interdum substantiam designant, nihildum tamen aut esse aut non esse notant, id est, affirmationem aut negationem, uel ueritatem aut mendacium. Non enim quod res sit uel non sit, notae sunt, nam id subiecti & praedicati complexus molitur. aut sic. Nec enim ipsum alioqui primarium uerbum, scilicet est, ueri aut falsi est nota, nisi subiectum praeponas, ut homo est aut nō est: sed nec ipsum quidem ens quod tum de illo praedicatur, tum primarium quoque magis dicitur, per se nudum. ipsum enim quod ad uerum aut falsum attinet, nihil est: cōsignificat autem compositionem quandam, id est, adiecta compositione quadam significat aliquid, ut cum dicis, Socrates est. Caeterum huiusmodi compositionem haud aliter quam iuncto actu cum nomine uerbo intelligere datur. Est siquidem cum audieris, uel Platonem, uel Socratem, uel denique rem, ad quam, est, refertur, concipe, prout consignificare etiam quandam compositionem uerbum dicitur: non tamen ipsam potium compositionem mente complecti, ni composita actu iuncta sint, uidelicet simplicia. Composita autem dicta sunt, quoniam serie quadam inter sese continenter, & conuenienter componuntur.

De oratione.

15 *Oratio autem est vox significatiua, cuius partium aliquid significatiuum est separatum, vt di-*
16 *ctio, sed non vt affirmatio vel negatio.* Dico *autem, vt homo aliquid significat, sed non quoniam est aut non est, sed erit affirmatio vel negatio, si quid addatur. Sed non hominis syllaba vna, neque enim in eo quod est sorex, rex, significat sed vox nunc est solum.* In *duplicibus vero significat quidem aliquid, sed non secundum se, quemadmodum dictum est.* E*st autem oratio omnis quidem signi-*
17 *ficatiua: non sicut instrumentum sed, quemadmodum dictum est, secundum placitum.* Enunciatiua *uero non omnis, sed in qua uerum uel falsum est: non autem in omnibus inest, ut deprecatio oratio quidem est, sed neque uera, neque falsa. Caeterae igitur relinquantur: rhetoricae enim uel poeticae conuenientior est consideratio: enunciatiua uero praesentis est speculationis.*

Non absurde mihi nec temere oratio enunciato eiusque partibus est praelata. decebat enim ex pollicitatione & nuda superius proposita enarratione, de affirmatione & negatione sermonē nunc excitare: postmodum cuiusmodi esset enunciatum, circunscribere: postremo ad enunciati genus orationem ascendere, ut ordinem quoque in nomine uerboque sum secutus. uerum alia me ratio, ac perinde sapientissima impulit. Nam illa quidem optimo iure seiunxi, & seorsum de utroque disceptaui, cum praesertim suapte inuicem substantia differrent. At uero orationem ab enunciatione nullatenus separare licet, nec enunciationem itidem ab affirmatione & negatione, nisi quis cogitatione id forte mera contendat: & illic quidem nomē neutiquam est uerbum, sed nec uice uersa: hic uero enunciati partes enunciationes: ideoque omnino etiam orationes. Quod si placet, alteram quoque causam accipe. Quod in nomine & uerbo ab imperfectioribus ad perfectiora progressu sum usus, hic contra a perfectis ad imperfectiora, nec quisquam gentium me duplici esse ordine usum calumnietur. Oratio igitur hoc ipso cum nomine ac uerbo conspirat, quatenus ut illa & uocem & significatiuam participat. Vox autem & ut materia cum nomina & uerba texit, & ut genus est. quoniam & in nominibus & uerbis particulares quaedam uoces iugatę & complexae, uel adeo potius ipsis subiacentes, materiae rationem habent, ad uocalem totam uim uariamque illam modificationem & distinctionem, cōstantemque propriis tanquam uarietatibus uoculationem collatae. Secundum autem institutionem diffinitioni nō est a me adiunctum, quod ad id ambiguitas quędam occurrit, quam sermonis processu diluemus. Nō decet autem pro confessis ambigua statuere. Est ergo oratio, ut eodem reuertamur, uox significatiua, (cuius partium aliquid seorsum significatiuum est, ut dictio, sed non ut affirmatio.) hanc enim totam iunctim uerborum compre-

hensionem,citra interspirationem continuare & legere opus est. (Aliquid) uero adieci,quod ora/tionis enunciatiuæ partes quædam sunt maiores & continentiores, ut affirmatio & negatio : aliæ minores & longiuscule dissitæ,ut uerbum ipsum & nomen. Ex his igitur partibus quæ proximę sunt,uerum & falsum:quæ remotissimæ,rem dũtaxat subiectam designant.Ob nomé ergo & uerbum finitioni(aliquid)adieci,quæ utique seperata & per se dicta,dictiones,nõ etiam affirmationes sunt:tu uero nec negationes,etiam si una contentus propositione finitioni nõ adieci,intellige. Di/ctio porro,simplex uox,uerbum,nomé,terminus,subiecto eadem sunt,habitu duntaxat & modo inter se differunt.Cum enim hanc uocem homo,ut aliquid significantem,simpliciter assumimus, simplicem uocem dicimus:cum alicuius prædicatum facimus,uerbum:cum subiicimus,nomen: terminum,cum in ipsum syllogismum resoluimus:dictionem,cum ut affirmationis & negationis partem accipimus.Quod si placet,alio etiam modo aliquid intelliges,nõ omnia.s.quæ in pronun/ciatis sunt,significare,ut articulos,negátes particulas,conuinctiones:sed subiecta sola & prædicata. Quod autem horum quodq; nominum inquá & uerborũ, dictio sit, nõ etiam affirmatio aut ne/gatio,sub oculos ponendum:ut nomé homo:hoc enim etsi aliquid significat, nõ tamé esse aut nõ esse,id est affirmationem aut negationem,uerum aut falsum : sed tum nomé affirmatio aut nega/tio fiet,cum aut finitum aut infinitum uerbum annexum fuerit. Nec tamé interim hallucineris, quemadmodũ pronunciatorum partes sunt significatiuæ , itidem quoq; uerborũ & nominũ esse. Nam Socratis nulla per se syllaba quidquá significat : sed etsi sorex proponas,huicq;,so,decerpas, rex,significatiuum nõ est:cum pręsertim si per se,rex,efferas,uocé promas significatiuam,quæque in significádo a dictione sorex,nihil differat. Sed hic, in simplicibus scilicet nominibus nõ statim addubitat auditor. Ideoq; nõ significatiuæ partes putátur,in cõpositis uero indidem uocis gemi/natione aberrat.Verum etsi hęc aliquid significare uidentur,nõ tamé per se ipsa.Quid auté est per se ipsa? nempe quod Calippus nomé proprium à καλὸς.i pulcher & ἵππος.i.equus iunctum est : per se ipsum ergo pulcher,& item equus,nullam similitudinis speciem cum Calippo exhibent. Igitur si nomina & uerba & minores orationis partes, significatiuæ sunt, & uniuersa utique oratio. nec id prolixiori sermone eget.Ná argumentũ a minori sufficit. Sed hoc loco an positione sit oratio, controuersia existit:propter quam initio mihi hoc nomé silentio prætermissum est.Nõnulli siqui dem esse instrumentum uocalis facultatis, quæ naturalis est,putarunt:ideoq; ipsam ut natura cõ stantem statuerunt. Etenim naturæ instruméta,naturalia quoq; sunt, ut auris auditricis faculta/tis,manus tactricis:mihi uero instrumentũ esse nequaquá uidetur,sed opus.Ná uocalis facultatis instruméta sunt,pulmo,arteria,thoracis dilatationes,gurgulio,palatũ,lingua,& alia:oratio autem omnium horũ est effectũ,& opus.Nec sane miraculũ,cõficientia naturalia esse,opera uero cõmen/to & studio cõstare.Nam saltatoria ars,cum sit ambulatricis,quæ naturalis est,motionis opus,stu dio tamé & institutione cõstat:attamé instrumentum oratio nominũ uerborumq; significationis est.Quod uero ea ut organo utitur,intellectiuæ prorsus animæ subiacet. hæc etenim sola & natu ralibus dotata est potentiis,& adscititiis. Ac omnis quidem oratio,siue deprecatiuam,siue inter/rogatiu am,siue qualemcunq; dixeris,siue adeo ipsam enunciatiuá,cuiuspiam subiectæ rei signifi/catiua est:idq; secũdũ institutioné, ut iam persępe dictũ est:nõ autem ut instrumétum , propterea quod naturalium quæ sunt in nobis facultatũ organa,& ipsa quoq; necessario naturalia sunt. Est uero etiam organũ alio modo,nimirũ ut mihi dictum est,articulatarum & disertarum uocũ signi ficationis,& ea sic utitur intellectus. Et quidé oratio omnis significatiua est, sed illa enunciatiua sola,cui uel ueritas,uel médacium inest.Nec uero hæc in omnibus orationibus insunt,médacium inquá & ueritas. Quippe qui istuc? cum pręsertim cæteræ orationes uitalis nostræ facultatis sint indices,intellectiuæ sola enũciatiua. cui igitur facultati ueri falsiq; intelligétia cõnata est , orationi quoq; ab ea profluenti , eadem illa adhærere possunt. Quoniam ergo uitalis potétia coagmétum solũ nostro suppeditat corpori,uel potius genituræ & uitæ est autor : intellectiua auté ad id inu/tilis est,sed intelligere,& de rebus pronũciare posse suggerit:sic certe pronũciare nihil aliud ac enũ ciatiua oratio est,quę a solo intellectiuo tanq̃ fonte,sola scaturit,perinde ac limpidissimus quidá ac splédidissimus riuus genitiuá naturá repræsentans. hoc enim,adesdũ huc mihi respõsurus,& quá uellé philosophari,& abi ad quédá,cæteraq; orationis partes , q̃ uiuamus, indicát:cæterũ q̃ uerũ aut falsum enũciemus nequaquá,tum quod cogitarimur,dein métem nudauerimus, ostendunt: nõ etiam quod ueri aut falsi sensum deprompserimus. Aliæ igitur orationes,extra enũciatiuam, rhetoricæ arti & poeticæ sophiæ relinquantur ; harum enim prudentibus cõfinior est considera/

tio. non

tio.non quin aliquando etiam hi enunciatiuam orationem tractent: sed q non sit hic eorum scopus, sed ad alterius probationem artificiose hanc assumant. Enunciatiua autem præsentis est demonstratiuæ speculationis, si modo logices summa est demonstrare: quod ex pronunciatis ortum ducit. Et quemadmodum Poetas & Rhetores enunciatione uti non ob ipsam, sed ob aliud quidpiam diximus: eodem quoque modo demonstratiuum philosophum, aliis interim orationis formis uti asserimus: non tamen ad earum duntaxat ipsarum sensum contueri, sed ad solam demonstrationem spectare.

18 *Est autem vna prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio, aliæ vero omnes coniunctio*
19 *ne vnæ.* Necesse *est autem omnem enunciatiuam orationem, ex verbo esse, vel ex casu verbi.* Et
enim hominis ratio (si non addatur, aut est, aut fuit, aut erit, aut aliquid huiusmodi) nondum oratio
enunciatiua est. Quare autem vnum quiddam est, & non multa animal gressibile bipes (non enim eo
20 *quod propinquæ partes dicuntur, vna erit) est certe alterius hoc tractare negocij. Est autem vna*
21 *oratio enunciatiua, quæ unum significat, uel coniunctione una. Plures autem, quæ plura & non*
22 *unum, uel inconiuncte.* Nomen *igitur & uerbum, dictio sit solum. quoniam non est dicere sic ali-*
quid significantem, uoce enunciare, uel aliquo interrogante uel non, uerum ipso proferente. Harum
23 *autem hæc quidem simplex est enunciatio. Vt aliquid de aliquo, uel aliquid ab aliquo: hæc autem*
24 *ex his coniuncta uelut oratio quædam iam composita. Est autem simplex enunciatio, uox significa-*
tiua de eo quod est aliquid, uel non est, quemadmodum tempora diuisa sunt.

Vnam quidem orationem ait, quoniam hypothetica hanc consequitur, & ea quæ ex diuersis nominibus ac uerbis deuincta est: uerum hæ omnes coniunctione sunt unæ: hypothetica quidē, uel consequutione, ut si sol est, dies est. uel copulatione, ut Plato philosophatur, & Socrates sermocinatur, & Aristoteles de arte commentatur. Ne uobis autem quem furtim errorem summittat, quod affirmatione, deinde negationem dixerim: ita ut a me enunciationem, quasi uocem æquiuocam in affirmationem & negationem esse diductam suspicemini. Quoniam species simul cum genere diuisæ sunt, nihil autem uetat quominus æquiuoca prius habeant & posterius. Genus enim enunciatio est, tum affirmationis tum negationis: quandoquidem eius finitio affirmationi & negationi competit. Nam hoc ipso, oratio scilicet ueri mendaciiq; capax, quo enunciationem finias, eodem quoque protinus species eius describas: quod in æquiuocis uocibus non usu uenire solet. (Deinde) uero adieci ob simplicitatem affirmationis, si cum negatione cōparetur. Cum enim simplex affirmatio duobus constet terminis, subiecto & prædicato: iisdemque & prȩterea inficiante particula iungatur negatio, ideoque compositior sit: simpliciora porro compositis prægrediantur: ob id nimirum mihi affirmatio, deinde negatio dictum est: alioqui quatinus uerum falsumque suscipiunt, secundum idem genus diuiduntur. Quum autem superius cum de nomine uerboque dissererem, peræque ueritatem utrisque casus & infinitatem tribuerim, nec tamen finitionem um nominis habere adiecerim, id uero hoc loco attexere statuam: me tanquam cumulo colligere opus est, ac potissimum de uerbo, cuius in pronunciatis prærogatiua censetur, commentari: sed & indicare tamen nominibus hæc competere. Necesse siquidem omnem orationem enunciatiuam, uel ex uerbo, ut Socrates philosophatur: uel ex uerbi casu, ut Socrates philosophabatur, esse: nec alias propositionem nasci licet, nisi uerbum nomini adiungatur. nam si uel infinita nomina continuaueris, siue diuersos significatus habentia, siue idem & unum numero designantia: nec uerbum addideris, dictionem modo, non etiam enunciationem edidisti. Nam & hominis finitio, uariis utique nominibus conserta est, quod genus, animal, rationale, mortale, mentis & disciplinæ capax: sed tamen nisi aut uerbum aut uerbi casum adposueris, in dictionem duntaxat munerosa istæc nominum series recidet. Cur autem diuersa in hominis finitione nomina, unius nominis usum suppleant? ideo fieri sciendum, quod hæc omnia unum sint significationis unitate. Vel sic dicito, Ideo multiplicem nominum in finitione enumerationem, unam rem designare subiectam, quoniam hæc unum, non multa, puta hominem significant. Ac conuinctionem autem in lectione premito, ut apta consecutione uerborum ambitus colligetur. Ne uero quis dicat non unitate significationis multa unum, sed continuitate pronunciationis fieri: perinde ac in pronunciantis manu sit, uel multa efficere unum, si continua orationem producat serie, nec elocutionis intersistat

respiratio:aut unum uicissim multa,si singulas syllabas interpungat,& in eis interspiret.Nō enim si quam proxime,qui hominem finit, uerba conserat:ideo significationis hinc unitas emanabit:uerum,si uel singulis in uerbis os obseret & includat, deinde uicissim buccas reseret,& reliqua uerba delibet,nihilominus unum illa significationis unitate erunt. Sed quo finitiones modo componantur,non est præsentis commentationis. Nam in septimo & octauo metaphysicorum hæc exactius sunt explanata:ut in finitione,uerbi gratia,genus materiæ rationem obtinet,speciei differentiæ,sed uel imprimis nouissima,quæ cum definito reciprocatur : utq; uniuersa finitionis nomina unum sunt,non ꝙ dirempta ante ac discreta,ut elementa ad corporis coagmentum, in unum deinde consiliata sint ac coierint:sed quod a principio simul cum finito conspirarint, neq; unquam ab eo absuerint. Quoddam enim proprie unum dicitur, ut deus, mens, anima. Alterum patiens unum,ut composita ex dissidentibus. Aliud habens unum , in quo quæ connexa & iuncta sunt, ante non dissidebant,neq; per se subsistebant:ita,ut prius simplicia essent,deinde mutuo sic conserta compositum redderent:sed & simul extiterunt,& simul coniuncta sunt:ob id ergo multa finitionis nomina unius usum nominis cōplent. Quoniam autem de significatiuis uocibus omne hoc opus molimur:quæ si significatiuæ sunt,aliquid utiq; designant,ut prorsus aliud sit,quod significet,aliud quod significetur:& illud dictio,hoc id de quo ipsa prædicatur,sit:ideo alia ex significatione oppositio,alia ex significato existit. Igitur enunciatio una est,aut quę unum indicat,aut quæ coniunctione una est. Plures autem, quæ multa , & nō unum, aut quæ adeo inconiunctæ sunt. Quocirca duo duobus oppone : id nempe quod unum significat , illi quod multa , & non unum:& id quod coniunctione unum est,illi quod inconiunctum.Nam hoc ipsum,Socrates ambulat,cum nec subiectum nec prædicatum homonyma sint,unum sane designat:istud uero, Aiax singulari cum Hectore certamine pugnauit,multa ob subiecti æquiuocationem. Rursum hoc ipsum Socrates ambulat , unum quidpiam proprie est , quia simplex est pronunciatum : istud autem,si deus iustus est, quæ cælitus proficiscuntur æquiora sunt, duæ quidem propositiones, sed tamen una oratio composita est,ob iungentis nexus uinculum. Igitur ea quæ est unius ad multa oppositio,in dictionibus sita est:illa uero,quæ est æquiuocorum ad ea quę certiloquia dicuntur, circa significata ortum naturamq; sortitur. Quid autem est causæ,quod cum plura dixissem,nō unum adieci?Dubitabit enim forsan aliquis,quasi primum satis esset nomen,ut non etiam inferretur & non unum.sed & aliquem istud delitescentem habet sensum. Si etenim quis dicat,homo respirat,etiam respirat de indiuiduis prædicat omnibus: primum tamen de communi illa complectente natura.sin,Aiax singulari cum Hectore certamine depugnauit,quoniam ęquiuoca est uox Aiax,protinus de solis Aiacibus prædicatum,non etiam de una eos complectente natura dicitur. Ideoq; secundum plura,nō unum,intuli,perinde ac si aliquid de pluribus & uno dici posset. Aut aliter dictum accipe. nempe ad illius proloquii differentiam , quod subiectum habet finitionem, ut,est animal rationale mortale : hic enim etiam si multa sunt nomina, tamen quoniam ad unam contendunt naturam,unum quippiam esse uidentur uniuersa. Et orationem quidem unam coniunctione dictam,hypotheticam audi solam, non etiam coniunctionibus plexam:hæc enim absolutorum ac perfectorum est propositio, nec mutuo inter se affectu quadrantium:ut,Socrates ambulat,& Plato disserit,& Alcibiades philosophatur:unaquæq; siquidem propositio & ex sese perfecta est,neque cum alia coniurat ac cohæret:hic autem,si deus iustus est,quæ illinc fluunt,iustiora sunt , puta in hypotheticis & pronunciatione & sensu , altera ab altera dependet. Ac superius quidem dictio a suapte substantia cum enunciatione oppositionem habebat , quoniam dictio aliquid sane significabat,ueri tamen & falsi exors erat: Enunciatio uero utriusque compos:nunc autem ab usus ratione , harum oppositionem proponam. Inuestigare igitur modos decet , quibus enunciare solemus:& si in illos incurrentem forte offendemus dictionem , indidem harum differentiam notabimus. Quispiam ergo enunciat aut interrogatus, an Socrates ambulat ? id ipsum ambulat de Socrate reddens:idque consimiliter in omnibus tum affirmationibus,tum negationibus. Aut nullo etiam rogante,ipse quasi domo id secum constituens,affirmatiue uel negatiue,aut simplicem propositionem,uel complexam enunciat. Cerne igitur , ne sic quidem incidere dictionem.Quis enim roget,an Socrates?uel rursum,quis ita seorsus,utrum ambulat?nō addito,quis. uel rursum , quis domo secum id constituens dicat, Socrates, non addito quid agens inducatur: aut ambulat,non copulato illi nomine.Itaq; differentia dictionis cum enunciato,satis hinc liquet: ꝙ si cum enunciato,& cum subiectis una quoque illi formis. At si quis forte dicat, ad absolutum

satis esse sensum etiam uerbum sine nomine interrogatiue obiectum, ut, lauabo ne? hoc illi respondeam, quanquam, o præclare, dictioni nomen non adhæret, attamen foris pronomen, quod nominis uice fungitur, intelligi. Ideoq; perfecte enunciatum uideri. Sic etiam omne nomen & uerbum perfecte enunciatum uidetur, mente .s. nostra responsum cum rogatione nectente: ut roganti cuidam, quid agit Socrates? respondens ait, legit. Igitur Socrates & uerbum legit, comprehensa ambo plenam fecerunt propositionem. Ex his ergo uel ex responso elatis enunciationibus, aut ab ipso qui domo ad prolationem exitus est, altera simplex est, utpote aliquid de aliquo, ut, Socrates ambulat: aut aliquid ab aliquo, ut, Socrates non ambulat. Altera ex his conficitur, ut oratio quædam iam composita. Ac ne me quis blaterare frustra putet, eadem iterare suspicatus: supra enim simplices duntaxat propositiones cum orationibus ex hypothesi compositis e regione contuli: nunc autem cum copulatiuis conuinctionibus unum habentibus, ut, Socrates ambulat, & Plato disputat, Alcibiades philosophatur. Nam qui alio rogante respondent, & qui domo destinarunt effari, aut simplices propositiones, aut ex conuinctionibus compositas loquuntur: Cum compositas, aut ex negatiuis solis, aut omnino ex affirmatiuis, aut ex utrisq; promiscue. Quarum utique compositarum orationum principium quoddam uarie, & tanquam fundamentum est simplex propositio. quæ quidē & uox est significatiua, & de eo quod est aliquid, aut nō est, id est de uero & falso, iuxta temporum discretionem. siquidem & enunciamus iuxta prçteritum, ut cum, Socrates differebat, Socrates nō differebat, dicimus. Item iuxta præsens & futurum. Ac uerborum quidem contradicentium expeditio & enucleatio liquida & manifesta est.

25 *Affirmatio uero est enunciatio alicuius de aliquo. Negatio uero enunciatio alicuius ab aliquo.*
26 *Quoniam autem enunciare est, & quod est, non esse: & quod non est, esse. & quod est, esse: &*
27 *quod non est, non esse: & circa ea quæ extra præsens tempus sunt. similiter, omne utique contingit*
quod quis affirmauerit, negare: & quod quis negauerit, affirmare. Quare manifestum est, quoniam
28 *omni affirmationi opposita est negatio, & omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio opposite. Dico autem opponi eiusdem de eodem, non autem æquiuoce. & quæcunq; cætera talium contra sophisticas determinauimus importunitates.*

Deinceps enunciationem, affirmationis & negationis genus ostendit, quod in utriusque finem assumatur. Quoniam autem nomen quoddam nouare & tanquam fabricare, Contradictionem .s. uolumus: id autem nō alias indicare liceat, nisi prius in quibus appareat, dixerimus: ideo notandum duplicem omnino esse oppositionem alteram, a rebus: alteram, a nostro circa negocia ipsa iudicio. Si nos ergo reb. conuenienter & consone enunciabimus, nihil ipsis amplius inducemus: sin ab ipsis dissentanei erimus, alteram inferemus oppositionem. Est ergo rerum Oppositio, quod est, ut nō esse, enunciare, & contra quod nō est ut esse. Progreditur uero sermo ab imperfectis ad perfecta, aut a falsis propositionibus ad ueras. Rursus, falsarum huiusmodi negatio prior ponatur, ut affirmatione imperfectior: in ueris autem propositionibus alternatim collocentur, ut affirmatio uera falsæ negationi subiiciatur, uera negatio falsæ affirmationi. Et prior quidem negatio falsa erit, quæ id quod est ut non esse enunciat, ut, Socrates iustus non est. Nam cum iustus Socrates sit, quæ ipsi re uera inest iustitia, eam non inesse enunciauit. Secunda ponatur ea, quæ id quod non inest, ut inesse pronunciat, ut, Socrates iniustus est. Quæ enim Socrati nullatenus inest iniustitia, perinde ac insit, de Socrate eam prædicauit. Hæ sunt igitur falsæ propositiones, ueræ autem deinceps hç. Ac prior statuatur, quç quod inest, ut inesse effert, ut Socrates iustus est: Altera, quç quod nō inest, ut nō inesse dicit, ut, Socrates iniustus nō est. Quç quoniam ita habent, & omni affirmationi negatio aduersatur: nec solum in prçsenti tempore sumpta oppositione, sed in eo quod circumcirca est, puta præterito & futuro, utique licebit, quicquid ullus affirmauerit, negare: itemque quod negauerit, affirmare. Hanc igitur oppositorum pronunciatorum conflictionem, uocare Contradictionem oportet, illam duntaxat, quæ cum eiusdem de eodem fit, aduersatur, ut non alius sit terminus in affirmatione subiectus, alius in negatione, ac in prædicato similiter. sed ut oppositio eiusdem utrobiq; prçdicati sit de eodem subiecto, ut, Socrates ambulat, ut, Socrates nō ambulat. Nec id quid quidem satis. Verum si in ambabus iidem propositionibus termini uel utriq; æquiuoci sint, uel alteruter, contradictio nō erit. Nec enim, Aiax singulari cū Hectore certamine pugnauit, &, nō singulari certamine pugnauit, cōtradictio est: tū ob nominis çquiuocationē, tum

quod utræq; propositiones simul ueræ ac simul falsæ esse possunt. Sed nec satis quoq; obseruatio solius æquiuocationis & cautio, ut contradictio fiat. Verum eodem modo propositiones teneri necesse est, ut utraque uel actu uel potentia sumatur: si enim altera actu, altera potentia sumpta sit, non erit contradictio, ut, dormit Socrates, cum dormit: &, non dormit Socrates: si alteram quis in actu, alteram potestate accipiat, uel adeo potius in eadem propositione utrumque sumat, contradictio non est. Ad hæc non ad aliud atque aliud propositiones spectare debent, ut decem plura sunt, & decem pauciora. Nam utraque simul propositio uera est, si iuxta decem, quinque, deinde uiginti locemus. Continget enim ut quam uiginti, decem pauciora sint, quam quinque plura. Demum nec secundum aliud atq; aliud, ut Aethiops albus, Aethiops non albus, contradictio non est, si alteram in cutis, alteram in dentium specie accipiamus. Hæc proinde omnia & alia quoque plura obseruari decet, si modo propriæ ac germanæ contradictionis nobis cura est. Quot porro hæc, & cuiusmodi sint, in Sophisticis, quos conscripsimus, Elenchis, declarabitur. illic enim hisce de rebus definimus aduersus eas quas nobis sophistæ inuehunt importunitates. Non enim istæc disciplinas existimare quis debet, sed impedimenta quædam, & tanquam sufflamina rectam uiam apud Philosophos secantis demonstratiuæ orationis.

De subiectis & prædicatis enunciationum.

SECTIO II.

29 *QVoniam autem sunt hæc quidem rerum vniuersalia, illa vero singularia. Dico au-*
30 *tem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est. Singulare vero, quod non. vt*
homo quidem vniuersale est, Callias vero eorum quæ sunt singularia. Necesse est au-
tem enunciare cum inest aliquid aut non, aliquando quidem alicui eorum quæ vniuer-
31 *salia sunt, aliquando autem quę singularia sunt. Si ergo in vniuersali vniuersaliter enunciet quis*
quoniam est aut non est, contrariæ enunciationes erunt. Dico autem in vniuersali enunciare vniuer-
saliter. vt omnis homo albus est, nullus homo albus est. Quando autem in vniuersalibus non vni-
uersaliter, non sunt contrariæ. quæ autem significantur, est esse aliquando contraria. Dico autem
non vniuersaliter enunciare in ijs quæ vniuersalia sunt, vt est albus homo, non est albus homo. cum
enim vniuersale sit homo, non vniuersaliter vtitur enunciatione. omnis nanque, non uniuersale si-
32 *gnificat. sed quoniam uniuersaliter. In eo uero quod uniuersale prædicatur, id quod est uniuersali-*
ter prędicari non est uerum. Nulla enim affirmatio uera erit, in qua cum uniuersale sit prędicatum,
uniuersaliter prædicatur, ut est omnis homo omne animal.

QVandoquidem Philosophum una cum reliquis uirtutibus concisæ quoq; breuitatis esse studiosum decet, ut non superuacaneis, quod solet rhetoricæ orationis artifices, uerbis circumfluat: idcirco ex rebus alias Vniuersales aio, alias Singulares. Ac Vniuersales quidem dico, ut, homo ambulat: hæc etenim uox multa simul indiuidua concludit. Singulares autem, ut Plato philosophatur. Et in hoc sane de interpretatione commentario, nihildum hactenus his de rebus accurate elaboraui: de cætero si quis has uoces exactius audire gestit, quoniam uniuersalium ac particularium diuisio incumbit, primum ab uniuersalibus auspicabimur. Vniuersalium alia ut uniuersaliter dicuntur, ut, omnis homo respirat: uniuersale quidem, ob uocem homo multorum comprehesiuam, ut dictum est: ut uniuersaliter autem, ob, omnis, determinationem, quæ & ipsa quoque multas res concipit. Quoniam ergo priori uoci, homo multorum complexioni, cōprehensiua hæc circunscriptio, omnis, adnexa est, tota compositio, quæ duabus constat uniuersalibus uocibus, uniuersale ut uniuersaliter appellata est. Alia rursum uniuersalia, ut nō uniuersaliter dicuntur, ut, homo respirat: non uniuersaliter quidē, quod, omnis, determinatio non adiaceat: uniuersale autem, ob uocem, homo. Particularium autem alia, cum determinatione efferuntur, ut, aliquis, non omnis: Alia incircunscripte, ut, Callias legit. Quę etiamnum singularia uocantur, differuntq; a particularibus determinationibus: quod illa destinatum & finitum indiuiduum de-

signant:hæ autem indefinitum. Iam uero ſciendum quatuor eſſe Determinationes, Vniuerſales duas, Particulares totidem. Ac uniuerſalium, aliam affirmatiuam, aliam negatiuam, ut, omnis, nullus. Itidem quoque Particularium, aliam affirmatiuam, aliam negatiuam, ut, aliquis, non omnis.

Ex his igitur quatuor determinationibus, Vniuerſalis Affirmatiua in neceſſaria materia uerax eſt: mentitur uero in eadem uniuerſalis negatiua, ut, omnis homo reſpirat, nullus homo reſpirat, uerax fuit, omnis: mēdax, nullus. In impoſsibili autem uice uerſa uſuuenit: uerax eſt etenim, nullus: mendax, omnis: ut, nullus homo pennatus, omnis homo pennatus. In contingenti uero materia uniuerſales utrę determinationes ſimul mentiuntur: nec enim omnis homo lauat, nec itē, nullus homo lauat. Quoniam ergo Contradictio in omni materia uerum falſumque ſecernit, id autem in huiuſmodi determinationibus non deprehenditur: idcirco ne has quidem Contradicentes dicere debeam, ſed contrarias. Quando enim Contrariorum quædam mediata, quædam immediata ſunt, immediatis ſane contrariis huiuſmodi quæ in materia tum Neceſſaria tum Impoſſibili fiunt, circunſcriptiones ſimiles uidentur. Quemadmodum ſiquidem in illis cuicunq; alterum adeſſet, alterum protinus aberat, eratq; pręſentia quaſi quędam & interitus: nihilo ſecius hic quoque altera uerax eſt circunſcriptio, altera falſa: ac mendacium rei abſentiæ, uerum pręſentiæ conſimile eſt. Mediatis uero contrariis hæ determinationes in contingenti ſylua non abſimiles ſunt. Vt enim illic contrarii a medio limites abſunt, ut a fuſco album & nigrum: itidem etiam hic, in hacce materia determinationes cōmentiuntur. Vnde uel hinc maxime hæ circunſcriptiones contrariæ dici debeant, q; ſimul mentiantur. Nam hoc ipſo mediatis contrariis ſimiles ſunt, quæ nunquam ſimul cum intermedio ſunt, ſed ab eo abeſſe poſſunt, uel adeo, quod contraria dicebantur, quę lōge lateq; a ſe ipſis diſtabant: atqui longiſsime, omnis & nullus, diſtant: ideoque merito Contrariæ uocentur. Eas autem quæ Materiæ appellantur, ſciendum habitudines eſſe quaſdam, quæ aut penitus prędicatum ſubiecto cōnectunt, ut, Socrates reſpirat: Aut in totum etiam alienant, ut, Callias uolat: Aut quæ partim annectunt, partim etiam abiungunt, ut, homo lauat, homo non lauat.

Iſtos porro habitus Materias uocare philoſophi dignati ſunt, q; pronunciatis ſubiacerent, & ſua ſponte cum illis ſimul exiſterent. Omne autem ſubiectum aut materia plane quædam eſt, aut cum materia proportionem habet. Quoniam ergo quatuor ſubiecta iam uiſa ſunt, Vniuerſale ut uniuerſaliter, Vniuerſale ut non uniuerſaliter, Definitum Particulare, & Singulare, de hiſque omnibus aliquid pręficatur: prædicatum quoq; tempus conſignificat: tempus autem triplex: tribus unumquodq; ſubiectum temporibus uariare debemus. Atque hinc nobis duodecim numero oppoſitiones exiſtent. has quoq; rurſum tribus ſyluis partiri, & in trigintaſex numero promouere contradictiones. Quibus iterum ex infinito ſubiecto geminatis, ſeptuagintaduas contradictiones reperiemus: affirmationes uero & negationes ad centum quadragintaquatuor. Verum quando in pręſentia contradicentes propoſitiones inueſtigamus, nec eas in his quæ uniuerſalem habent circunſcriptionem reperimus, nuncubi forte has in indefinitis inueniemus? ſed cum hę, ut ſermonis proceſſu docebitur, particularibus, circunſtantiam. ſ. habentibus particularem, propoſitionibus ſimiles ſunt: particulares autem non contradicant, utpote quæ in contingente materia ſimul ueraces exiſtant: ſed nec contrariæ quidem ſint, quoniam contrariæ in eadem. ſ. contingente materia ſimul mentientes reperiantur: ideo mea quidem ſententia ſimiles ipſis indefinitæ neque contradicunt, neque contrariæ ſunt. Verum enimuero ea quæ ſignificantur. ſ. prædicata, interdum contraria eſſe licet, non tamen protinus a prædicatis interim contrariis integras propoſitiones eſſe contrarias dicere oportet: nec enim ex his contrarietatem figurauimus. Ecquando igitur quæ ſignificantur aduerſa ſunt? ecquando non? Nempe in priuationibus & habitibus, ut Socrates uidet, Socrates nō uidet: & in aliis aduerſam prorſus uocem nō ſortitis, ut, Socrates reſpirat, & Socrates ambulat, nullatenus prædicatorum contrarietas deprehenditur. In contrariis autem nominibus, ut, homo albus eſt, homo albus nō eſt, & talibus, contraria eſſe quæ ſignificantur aliquādo licet. Qui tandem igitur contradictionem reperiemus, ſi circumeundo determinationum ueſtigia legentes & circumluſtrantes, rem quæſitam uenati nō ſumus? ſciendum igitur in angularibus duntaxat e regione circunſcriptionibus indagationem contradictionis fore, in determinatione puta, omnis, cum nō omnis: & nullus, cum aliquis. Nec ullum hoc conturbet, quod in materia impoſsibili utręque mentiantur, omnis homo uolat, nō omnis homo uolat. Etenim, nō omnis, cum, omni, nō aduerſatur, particulæ, aliquis, æquipollet: ſed cum omni oppoſitum eſt, nihil aliud curæ habet, quam ut partem omnis labefactet. Quomodo uero labefactatur, omnis? nimirum

particula,nō,inficiatrice. Aut enim omnis,aut nō omnis : atqui omnis,non omnis igitur. Aut retrorsum inuertens dicito,atqui nō omnis,omnis igitur.aut enim omnis,aut nō omnis. Postquam enim tribus materiis adponitur omnis, in tribus quoque nō omnis ipsum subuertet. Nam ipsas per se determinationes nihil materiæ attendendo intelligere conuenit. Sunt ergo ex determinationibus aliæ Particulares,aliæ Vniuersales uniuersaliter,aliæ Vniuersales nō uniuersaliter:ut,est albus homo,nō est albus homo. Nam cum homo uniuersale sit,nō tamen uniuersaliter,enunciatio,quoniam omnis, circunscriptio uniuersalis adiuncta nō est, usurpatur. Sciendum porro nō eundem Articulos & Determinationes sensum inuehere:sed Articulos ipsam negotii speciem repręsentare:Determinationes,particularia,& singularia,ac in totum mortalia demonstrare. Si enim dicam,qui cogitabundus est,animo pręsenti bonoque semper est,ipsam assumpsi speciem quę semper utique est species enim incorruptiles. Sin autem dicam, omnis cogitabundus animo forti bonoꝗ semper est,particularia quæ nō semper sunt,sed corruptela exolescunt,notauit. Nam,omnis, nō uniuersale significat, sed quod uniuersaliter, quod iuxta Platonicos sic intelligendum est. nō particularem homo uocem omnis adiunctum uniuersalem fecisse:sed uniuersalem antea uniuersaliter ipsam accipi indicasse. Nobis autem sic placet,nō oportere,iuxta Platonem omnis determinationem quantitate discreta præditam, de multitudine quoꝗ dictam, formæ ac speciei hominis singulari ac unicæ adplicare. Quinam enim appellatio multitudinis designatrix singularem indicabit naturam ? omnis igitur nō uniuersalem sane illam naturam notat, quæ ante multa est : sed nec eam quidem quæ in multis, uerum uniuersa indiuidua : quæ utique ipsa merito forsan uniuersalia dicantur,ad singularia quæque collata. Ergo omnis nō unam designat singularem naturam, sed subiecta illi insecabilia. Cæterum ne quis eorum qui in hosce forte commentarios incident,arbitretur,quemadmodum indefinitæ propositiones circūscriptiones sortitæ aliam pronunciatorum speciem edunt,sic definitas quoque propositiones in uniuersali prędicato affirmatiuum omnis etiam prædicatum adeptas, aliam posse propositionum formam reddere : sic pote si quis huic omnis homo animal, circunscriptionem omnis animali addat, dicatque,omnis homo omne animal. Etenim cum uniuersale sit prædicatum,ut animal,uniuersaliter de homine, omnis determinationem prædicare nō solum non est uerum, sed huiusmodi etiam omnino prosatum inconstans est,& a logica ratione alienum. Nam si omnis (ut mea est opinio) nō speciem sed indiuiduorum numerum designat,qui,omnis homo omne animal,ait,nihil aliud dixit quam unum quodlibet homini subiectum indiuiduum,omne animal esse. atque ita continget Socratem, & hominem,& bouem,& equum esse. Et quidem ego huius additamenti absurditatem in una duntaxat propositione coargui:tu uero optime ac circunspecte auditor,cum quatuor subieceris determinationes & semel unam in propositione eadem conduplicaris, deinde alias etiam summutaueris, & in sedecim propositionum numerum subduxeris, geminam determinationis prædicationem poteris,nō solum eam,quæ,omnis homo omne animal,enunciat,mentientem reperire : sed & hanc, nullus homo non omne animal,&,aliquis homo omne animal,&,non omnis homo nullum animal.nec solum in hac mentientes materia,ut in alia forte uerę etiam sint:uerum in tribus quoque ex æquo falsas. Mihi autem satis fuit ex prima propositione reliquas tres,more philosophico,& tāquam clanculum indicare. Quoniam etenim aliquis circunscriptio pars est huius,omnis,mentitur autem propositio quæ,omnis homo omne animal dicit, una quoꝗ secum istæc falsam hanc, aliquis homo omne animal,cōcludit. Si enim,omnis homo omne animal,falsa est,multo quoque magis hęc,aliquis homo omne animal:de reliquis autem duabus negatiuis simili modo falsis propositionibus,ut,nullus homo nō omne animal,&,nō omnis homo nullum animal, hoc dicere habeo : hanc quidem, nullus homo nō omne animal,huic,omnis homo omne animal,æquipollere.

Quoniam enim est omnis aut nō omnis,sublatum autem est nō omnis, idcirco per hanc determinationem,nullus,omnis ui uicissim inductum est,ac factum,nullus homo omne animal. Quia uero in necessaria materia,nullus,uicissim,omnis,obducit,reliquum est totum,omnis homo omne animal:hæc autem,nō omnis homo nullum animal,huic æquiualet, aliquis homo omne animal.si enim nō omnis est aliquis:sin autem,nullus ob necessariam materiam omnis : itaꝗ hæc,nō omnis homo nullum animal,eadem est cum hac,aliquis homo omne animal.

33 *Opponi autem affirmationem negationi dico contradictorie, quæ uniuersaliter significat eidem, quoniam non uniuersaliter.ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est:nullus homo albus*

est, aliquis homo albus est. Contrarie vero vniuersalem affirmationem & vniuersalem negationem. vt omnis homo iustus est, nullus homo iustus est.

De *regulis oppositorum.*

34 *Quocirca has quidem impoßibile est simul esse veras. His vero oppositas, contingit aliquan-*
35 *do in eodem simul esse veras. vt non omnis homo albus est, & aliquis homo albus est. Quæcunque*
36 *igitur contradictiones vniuersalium sunt vniuersaliter, necesse est alteram esse veram vel falsam,*
37 *& quæcunque in singularibus sunt, vt est Socrates albus: non est Socrates albus. Quæcunque autem in vniuersalibus non vniuersaliter, non hæc quidem vera est, illa vero falsa est. Simul enim verum est dicere, quoniam est homo albus, & quoniam non est homo albus: & est homo pulcher, & nõ est homo pulcher: si enim turpis est, non est pulcher: & si fit aliquid, non est.*

Illæ, inquit, ex propositionibus secũdum cõtradictionem, quæ uerum falsumque partitur, opponũtur, quotquot uniuersaliter significãt, eidem prædicato quod nõ uniuersaliter: ut est, omnis homo albus, nõ omnis homo albus: cum enim uniuersaliter sese habeat omnis homo albus, sublatio per nõ omnis homo albus, perpetrata est. Nam uel ista, omnis, hãc, nõ omnis: uel cõtra hæc, nõ omnis, istam, omnis subuertit. In quibus utrobique idem prædicatum albus. Eodem sese modo habẽt, nullus homo albus, &, aliquis homo albus. Idcirco autem hæ propositiones a me cõtradicẽtes appellãtur, quoniam cõtradictionis dignitatem habẽt. Quid uero istud? Nempe in omni materia uerum ac falsum discernere. Omnis autem & nullus in cõtingẽti sylua quoniam simul emẽtiuntur, cõtrariæ uocẽtur, nõ etiam cõtradicẽtes. Et quia cõstructæ cum huiuscemodi circũstãtiis propositiones, ĩ necessaria & impossibili materia uerum falsumq; cõdiuidunt, ĩ cõtingẽti commẽtiuntur: necesse est propositiones ipsis ad diametrum succedẽtes, oppositasq; ideo dictas, nõ usque adeo ex oppositionis specie, quam quod sedes e regione sitas sortitæ sunt, ĩ omni iuxta materia uerum & falsum compartiri. Proinde cõsectum est, ĩ particularibus dũtaxat & uniuersalibus, ut uniuersaliter propositionibus, scilicet angularibus, debere nos cõtradictionis uocabulum cõstituere: omnis homo omne animal, falsa semper: nullus homo omne animal, uera semper: aliquis homo omne animal, mẽdax semper: omnis homo nullus lapis, uerax ĩ impossibili dũtaxat materia: nullus homo nullum animal, ĩ necessaria & cõtingẽti: aliquis homo nullus lapis, uera ĩ impossibili sola: omnis homo aliquod animal, uera semper: nullus homo aliquis lapis, uera ĩ impossibili: aliquis homo aliquod animal, uera semper: omnis homo nõ omne animal, uera semper: nullus homo nõ omne animal, falsa semper: aliquis homo nõ omne animal, uera semper: nõ omnis homo omne animal, uera semper: nõ omnis homo nullum animal, in necessaria & cõtingẽti: nõ omnis homo aliquis lapis, uera ĩ impossibili sola: nõ omnis homo nõ omne animal, mẽdax semper. De uniuersalibus autem nõ uniuersaliter quid dicẽdum est? multam enim nostram forte garrulitatem Platonici dissiparent, asserẽtes has quoque cõtradictorie aduersari, propterea quod hæc utique, homo ambulat, isti, aliquis homo ambulat: & hæc rursus, homo non ambulat, isti, nullus homo ambulat, ęquipollet. atqui aliquis & nullus cõtradictorie cõtendunt. Platonis porro cõsentanei ĩ hanc sunt opinionem ab huiusmodi ratione perducti, Indefinitæ propositiones cum determinatis collatæ, materiæ proportionem obtinent: specie siquidem a determinationibus inducũtur: quamdiu ergo indefinitæ fuerint, formæ tandiu sunt exortes. Quãdo ergo nobis materiæ ad determinationem comparatæ tãquam speciem, esse cõspectæ sunt, materiis utique specie formatis cedunt, inferioribusque ac deterioribus formis propinquæ sunt. Proinde quoniam in affirmatiuis determinationibus inferior, utpote particularis, est aliquis, quam omnis, finitima proculdubio est propositio affirmatiua & indefinita, homo ambulat, isti, aliquis homo ambulat: ĩ negatiuis autem determinationibus sequior nõ omnis, quam nullus, propterea q; ĩ parte dicatur: atque adeo uicinior uideatur hæc, homo nõ ambulat, huic, nõ omnis homo ambulat. Illi cõtra inferiorem nullus asserũt quam nõ omnis, cum præsertim, nullus, rei prorsus absentiam & interitum inferat: nõ omnis autem, partem subruat, partem etiam subesse permittat. Ego uero illis ita respondeam, digniorem esse, nullus, quam, nõ omnis: hoc ipso, quod uniuersalior sit: quãdoquidem ĩ logica ratione nõ rerum existẽtiam aut absentiam, sed uoces potius aliquid uel euertẽtes uel astruẽtes quærimus. Et quemadmodum omnis angustiorem ac digniorem esse dicebamus, nõ solum q; affirmatio foret, sed etiam



quod propria asseueratione nihil excluderet: sic quoque, nullus, priorem ac potiorem dicimus: nõ modo quod uniuersaliter efferatur, sed quod etiam nihil extra suam sublationem reliquat. Itaq; uerum est enũciare, est homo albus, &, nõ est homo albus: rursum, est homo pulcher, &, nõ est homo pulcher. Ecqui uero istud, cedo? Mihi nimirum duo cõtraposita ĩ utrasque propositiones assumito, atque ita dicito, est homo formosus, &, est homo deformis. utræque prorsus ueræ sunt: illa, ob Nitea: hæc, ob Thersitem. Nõ ergo affirmationem & negationem fecimus, sed duas affirmationes. etenim affirmatio quæ ait, homo est deformis, eadem est cum ea quę dicit, est homo nõ pulcher: nam si turpis, prorsum adeo nõ pulcher est. Quoniam ergo hæc, est homo pulcher, cum hac, homo est turpis, simul uera est: hæc porro, homo est turpis, eadem est cum ista, nõ est homo pulcher. Ergo hæc, est homo pulcher, cũ hac simul uera est, nõ est homo pulcher. Rursum duo mihi sumito, est aliquid, & fit aliquid. etiam simul utręque ueræ sunt: illa quidem, ob hominem qui actu est: hæc, ob eum qui in utero matris cõformatur. At si aliquid fit, etiam nõ est: nam etiam cõuinctio, &, existẽtiæ & absentiæ significatiua est. Quoniam autem simul ueridicę sunt, est aliquid, &, aliquid fit: fit autem aliquid, huic æquipollet, non est aliquid: simul quoque, est aliquid, cum hac, non est aliquid uerax erit.

38 *Videbitur autem subito inconueniens esse: iccirco quoniam videtur significare hęc non est homo*
39 *albus simul & hæc nullus homo est albus.* *Hæc autem neque idem significant, neque simul necessario. Manifestum autem quoniam vna negatio vnius affirmationis est. hoc enim idem oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauit, & de eodem vel de aliquo singularium, vel de aliquo vniuersalium vt vniuersaliter, vel vt non vniuersaliter. dico autem vt est Socrates albus, non est Socrates albus: si autem aliud aliquid de eodem vel de alio idem, non est opposita, sed erit ab ea diuersa. huic vero quæ est, omnis homo albus est, contradictio est, illa quæ est non omnis homo albus est. illi vero quæ est aliquis homo albus est, illa quæ est nullus homo albus est. illi autem quæ est, est homo albus, illa quæ est, non est homo albus.*

Videtur autem, inquit, protinus scilicet inexplorato, perabsurdum esse quod a nobis dicitur, negationem utique indefinitam negationi particulari definitæ æquipollere. hæc enim, homo nõ ambulat, isti, nullus homo ambulat, affinior uidetur. uerũtamẽ nõ idem designãt, cum præsertim illa sit particularis, utpote incircũscripta, & particulari assimilis determinationi: hæc autem, uniuersalis. Si enim re uera indefinita negatio idem cum, nullus, significasset, cum indefinita affirmatio idẽ cum, aliquis, designet, omnino ueritatem semper & mẽdacium discriminassent indefinitæ propositiones: quemadmodum particularis affirmatio, aliquis, & uniuersalis negatio, nullus: atque etiam simul de necessitate nullatenus ueræ esse possent. Sunt enim quædam haudquaquam eadem, sed quæ tamẽ simul uera possunt. Nam hæc, nõ possibile est hominem alatum esse, nõ eadem est cum hac, necessarium hominem nõ esse alatum: ambæ tamẽ simul ueraces sunt. Quoniam ergo omnes propositionum oppositiones exposuimus, nec harum ullam omisimus: quoddam inuentum & tãquam cõsectarium ex his deinceps commẽti sumus: Omni affirmationi negationem opponi, & uni affirmationi unam quoque negationem e regione esse occursuram. Nõ enim iniquum est, duo uni opponere: nec cõturbari cõuenit, quod, omni, opponitur nullus, &, nõ omnis. Opponuntur sane, haud eodem tamẽ modo. sed hoc, cõtradictorie: illud, cõtrarie. Id enim erat cõtrouersum ac dubium, an duo similiter eidem opponãtur, quod nusquam ullus reperiat. Nec si quis cum ex subiecto ac prædicato propositionem cõfecerit, deinde propriam illi ac suam negationem dederit, ac postmodum alienam commutarit, uel adeo prædicatum aut subiectum uariarit: iam ex eo se diuersas unius affirmationis negationes fecisse putet. uerum huius, homo ambulat, una negatio est, homo nõ ambulat. hæ uero, homo nõ differit, aut equus nõ ambulat, aliarum affirmationum sũt negationes. Illa utique, huius, homo differit: hæc istius, equus ambulat. Nõ enim affirmationis termini in negationibus immutari debent: uerum idem prędicatum de eodem inficiari subiecto oportet, & idem subiectum utrisque subiacere proloquiis. Id uero huiusmodi in oppositionibus obseruari debet, tum singularium tum uniuersalium. uniuersalium, aio, aut indefinitorum & uniuersalium duntaxat dictorum, aut uniuersales habẽtium solum circũscriptiones, & uniuersalium ut uniuersaliter mihi nuncupatorum. Et exempla quidem perquam manifesta sunt, ut, est Socrates albus, nõ est Socrates albus. Si enim aliud in negatione inficiaberis, aut ab alio subiecto idem prædicatum

dicatum

dicatum diuides, ut, Socrates ambulat, equus non ambulat (nam diuersa proculdubio subiecta sunt, ac unum prædicatum) nõ aduersam affirmationi negationem, sed ab ea prorsus aliam reddes. Nec id solum in singularibus uidere est, sed & in uniuersalibus etiam ut uniuersaliter. Nam huic propositioni, omnis homo albus, una opponitur hæc, nõ omnis homo albus, contradictorie: huic autem, aliquis homo albus, hæc, nullus homo albus: similiter huic, homo est albus, hæc, nõ est homo albus, nõ contradictorie utique, sed subcontrariæ.

40 *Quoniam igitur vna affirmatio vni negationi opponitur contradictorie, & quæ sunt hæ dictum est: & quoniam contrariæ aliæ, & quę sunt illæ dictum est: & quoniam non omnis vera vel falsa contradictio, & quare, & quando uera uel falsa.*

De affirmatione & negatione una.

41 *Vna autem affirmatio & negatio est, quæ unum de uno significat, uel cum sit uniuersale uniuersaliter, uel non similiter, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est. est homo albus, non est homo albus. nullus homo albus est, aliquis homo albus est, si album unum significat. sin uero duobus unum nomen positum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio, neque una negatio: ut si quis ponat hoc nomen, tunica homini & equo, quod tunica alba est, hæc non est una affirmatio, nec una negatio. Nihil enim differt hoc quam dicere quoniam est homo equus, albus. hoc autem nihil differt quam dicere, est homo albus, & est equus albus. Si ergo hæ multa significant, & sunt plures, manifestum est quoniam & prima uel multa uel nihil significat, neque enim est aliquis, homo, equus.*

42 *Quare nec in his necesse est, hanc contradictionem ueram, illam uero falsam esse.*

Quod una quidem affirmatio uni negationi cõtradictorie aduersetur. i. opposite, & quænam hæ sint, cõtradictorie nẽpe aduersantes, puta omnis & nõ omnis, & aliquis & nullus. ad hoc quod aliæ præter has cõtrariæ, & quænam illæ sunt, omnis, scilicet, & nullus: tum quod nõ omnis uera aut falsa cõtradictio (ubi quoque oppositionem audi, ac tibi uelut in ænigmate per hæc uerba indefinitæ innuãtur, quæ quidem ideo quod propositionibus particulares habẽtibus determinationes æquipollẽt, nõ cõtradicũt, nec uerum ac falsum discriminãt: Sic enim intelligo, nõ omnis uera aut falsa) cur etiam uerum ac falsum indefinitæ nõ diuidant, quod nimirum cum particularibus circũscriptionibus cõsentiant & cõcurrant: ecquãdo rursum illa quoque diuidãt: ĩ necessaria nempe & impossibili materia: hęc uniuersa mihi iam dicta sunt. Vna autem est affirmatio & negatio, quæ neque subiectum cognomine habet, neque prædicatum: sed unum prædicatum de subiecto uno, similiter uel in uniuersalibus ut uniuersaliter, uel minime. i. uniuersalibus ut nõ uniuersaliter, uidelicet indefinitis, cõmostrat. Exempla uniuersalis ut uniuersaliter, omnis homo albus, nullus homo albus. Vniuersalium autem ut nõ uniuersaliter, est homo albus, nõ est homo albus: nõ omnis homo albus est, aliquis homo albus est. Nam una est quidem certe propositio, aliquis homo est albus, modo album unum significare statuatur: sin autem nomẽ unum sit, duo tamẽ huic subiecta, quæ alioqui huiusmodi sint, ut nec mutuo coniugari & coire, nec item unam efficere naturam possint, qualis est terrenus canis & marinus: nam duo sunt hæc subiecta uno ipsius canis uocabulo designata, nullatenus ad unius naturæ corpus & effectum coalescẽtia: si ergo ita sese habent, nec subiecta reperiri queunt, ex quibus res una cõstruatur, quod sane possunt rationale mortale mẽtis & disciplinę capax: hæc enim uniuersa mutuo cõgruunt, & speciem unam, scilicet hominem, reddunt: tunc nec una affirmatio, nec item una negatio est. Etenim si quis exemplum utcũque leuissimum, sed tamẽ quod ueritatem retegere sit efficax, sibi sumat: hominique, uerbi gratia, & equo unum nomẽ ponat, quod sit tunica: deinde dicat, est tunica alba, aut tunica nõ est alba: nec unam affirmationem, nec rursum unam negationem efficiet. Quoniam ergo tunica equum & hominem significat, nihil interest atque si dicas, est equus & homo albus. nec tamẽ, &, cõiunctio huc incurrens, unam fecit propositionem: sed cum, est homo albus, & est equus albus, dixit, ut liquidius propositiones distingueret, & in duas tribueret affirmationes, utrique, est, uerbum adiecit. Si igitur hæ, est homo albus, &, est equus albus, nõ unum designãt, sed multa: ideoque multæ sunt: nimirum prima quoque, tunica est alba, quæ his æquipollet, nec ipsa unum significat. Quoniam



ergo unum significare sublatum est,restat ut aut multa aut nihil. Sed qui tádem nihil significa/bit dictio,quam ex cõfesso ut significantem aliquid statuimus? Reliquum ergo est ut multa desi/gnet:multa autem solum significant, propterea quod ut finitionis queunt partes,in unum & idé conuenire & cõgredi nequeant,aut etiam unam reddere speciem,aut de seipsis uicissim prædicari. In finitionibus enim & partes finitionis de definito uniuersaliter prædicátur, ut animal uniuersa/liter de homine,& rationale ac mortale item,ad hæc,métis & disciplinæ capax: quæ & ipsa quoq; de seipsis inuicem,cum in particulares descenderint uoces dicútur. aliquid enim rationale,morta/le:& aliquid mortale,rationale:& aliquid mortale,métis & disciplinę capax. Igitur propositio quę ait,rationale animal mortale métis & disciplinæ capax,una est. Quod si forte album de multis di/catur nominibus,sed & quæ simul cõsentire,& de seipsis inuicem prædicari ualeant,homo tamen & equus nec mutuo ad unius speciei effectum cõsiliantur, nec item inuicem de seipsis ad morem partium finitionis prædicantur. Ideo mihi dictum est (nõ enim est aliquis homo equus) Proinde nec in hisce propositionibus,quæ in aliquo habent termino cognominationem,hanc quidem esse ueram,illam autem esse falsam propositionem necesse est.

De *futuris contingentibus*.

43 *In ijs ergo quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationem vel negationem veram esse, vel falsam. In vniuersalibus quidem vniuersaliter semper hanc quidem veram,illam vero falsam esse:& in his quæ singularia sunt(quemadmodum dictum est)in ijs vero quæ in vniuersalibus non*
44 *vniuersaliter dicuntur non neceße est. dictum est autem & de his.* *In singularibus vero & futuris,non similiter. Nam si omnis affirmatio et negatio vera vel falsa est,& omne neceße est eße,vel non eße:quare si hic dicat futurum eße aliquid,ille vero non futurum dicat hoc ipsum,manifestum est,quoniam neceße est verum dicere alterum ipsorum,si omnis affirmatio vel negatio vera vel falsa est,vtraque enim non erunt simul in talibus. Nam si verum est dicere quoniam album vel non album,necesse est eße album vel non album.* Et *si est album uel non album,uerum erat affirmare uel negare.* Et *si non est,falsum dicit,& si falsum dicit,non est. quare neceße est aut affirmationem aut negationem veram esse vel falsam.* N*ihil igitur neq; est,neq; fit,nec a fortuna,nec vtrumlibet,neq; erit,neq; nõ erit:sed ex neceßitate omnia,& nõ utrumlibet.* A*ut enim qui dicit verus est,aut qui negat. Similiter.n.vel fieret,vel non fieret:vtrũlibet.n.nihil magis sic vel nõ sic se habet,vel habebit.*

Hactenus nobis sermo secũdum re uera splédidumq; tenuit cursum, & regia cõsularíq;, prope dicam,uia pro ratione enucleatarum a nobis oppositionum progressus est:de cętero autem singularium in tempore futuro cum sylua cõtingéte repugnans occurrit oppositio:quæ haudquaquã similiter cum reliquis oppositionibus,tum angularibus,tum indefinitis, in tribus iuxta temporibus,per omnem materiam sese habet. In his enim quæ sunt,& quæ facta sunt.i.in præsenti & præterito,necesse est omnem oppositionem uerum ac falsum discriminare:& i uniuersalibus quidem ut uniuersaliter,id est,determinatis,omni,puta,& nõ omni,aliquo & nullo,semper hanc esse uerã; illam uero falsam,iuxta omné materiam, & ĩ omni tempore:ut ĩ his etiam cõtradictionis maiestas cõseruetur. Ac ĩ singularibus quoq;,si præteritum tẽpus,& pręsens sumpseris,similem dcpreh é des cõtradictioné:ĩ uniuersalibus auté nõ uniuersaliter dictis.i.indefinitis,nõ necesse est ĩ omni materia uerum falsumq; discernere. nam ĩ cõtingéti,ambæ simul uerum profantur: propterea quod hęc utiq;,homo ambulat,huic,aliquis homo ambulat:& hęc ité, homo nõ ambulat,isti,nõ omnis homo ambulat,cõsimilis est. De his auté sæpenumero iam dictum est. In singularibus uero & futuris scilicet si cõtradictioné singularium materiamq; cõtingétem ac futurum tempus sumpseris, atq; ita dixeris,Socrates lauabit,Socrates nõ lauabit: quin de necessitate alterutra pars uera sit,nemo inficiabitur:nõ tamé ullus definite utrum erit,prænouit. Nõ similiter autem ita intelligere debes,quod sane singularium oppositio etiam ĩ futuro iuxta materiam cõtingenté falsum & uerum distinguat,nõ tamen perinde ac contradictiones reliquæ. Hæ etenim certum ac definitum habent euentum,illæ indefinitum & incertum. Verumtamé quãdoquidem nõnulli sunt,qui cõtingens ab ipsis cõuellere sedibus instituerunt: omniaq; ĩ necessitatem redigere tentarunt:his profecto respõdere operæpretium est. Sed tamé prius quæ horum obiectio sit,exponemus. Aiunt enim, Ni/

hil cõtingéter aut esse aut futurum:sicque inducunt,Etenim si cum negocium aliquod futurum sit,nostrum alter,aliquid fore, alter autem nequaquam illud idem fore asserat: quoniam aliquid fore,& aliquid nõ fore, cõtradictio est:omnis autem contradictio partium alterutram ueram habet:horum alterum esse uerum necesse est. quod si horum alterum esse uerum est necesse:at affirmãtis aut negãtis ueritatem,rerum existẽtia sequitur: de necessitate ergo erit quod fore prædictũ est.Neque enim posse in singularium oppositione utrasque simul propositiones uerum enũciare. Nam id indefinitis quidem cõtingebat. & quatinus omnis cõtradictio aut affirmationem ueram habet,aut negationem,alteram eius portionem euenire necesse est. Et qui futurum forte puerum aut aliud etiam quidpiam album,fore,aut album nõ futurum,nõ album fore,dixerit,uerum enũciauit,& qui futurum album,album fore dixit,& qui nõ futurum,fore pernegauit. Ac ut uerborum fidem ueritatemque, rerum existẽtia sequebatur: sic etiam rerum existẽtiam uerborum comitatur fides. Etenim si albus aut nõ albus editus est puellus,quem uel album uel nõ album fore prædictum est:fore album asserere uerum erat, aut etiam fore album abiurare. Et ut ueritas existẽtiam,& existẽtia quoque ueritatem comitatur:itidem etiam mendacium inexistẽtiam, & inexistẽtia mẽdacium subsequitur. Si etenim albus nõ fuit, qui album fore prædixit,emẽtitur:ac uice uersa qui album fore negauit,si albus fuit. Quocirca his necessario cõficitur rationibus,aut affirmationem aut negationem ueram esse. Quod si ex necessitate omnis affirmatio aut negatio uera est uel falsa: asseueramus autem & inficiamur nõ in futuris solum,sed in præsenti quoque: nihil ergo nec est,nec fit,uel a fortuna,uel utrocunq; modo.Cõtingens siquidem triplex est,frequẽtius, æquabile,rarius. Illud creberrimum,ut hominem in senectute canescere. rari siquidem quibus id nõ cõtingat.Circa quod ars & natura sane uersantur.Nam hæ raro aut aberrant,aut frustrantur: sæpenumero autem finem assequũtur.Hoc infrequẽtius,ut qui lotum exierit,in thesaurum incidere. Rari enim incidunt.Circa quod fortuna & casus uertũtur.Illa utique a delectu pendens,hic citra propositum factus. Alia uero cõtingẽtis pars æquabilis est,ut lauare,nõ lauare,& huiusmodi.Ergo utrumlibet ad ęquabile cõtingens referẽdum. Aequabiliter siquidem utroque deuergit: fortuna autem ad rarius cõtingens. Sed ne incõtingẽtis partes omnia uertamus,i uniuersum dixerim,nihil aut fore, aut nõ fore:ac fore i sylua necessaria,temporeque futuro, quod semper erit, intelligẽdum est:nõ fore autem cõsimiliter in impossibili. Quod porro nec erit, neque nõ erit,cõtingens est. Nam cõtingens ob dubiam utroqueuersum propensionem, nihilo magis aut erit,aut non erit. Ex necessitate igitur omnia,& non utrumlibet: necessario enim de puello,qui albus nascetur,uel qui fore asserit,uel qui negat,uerax est. Nisi enim de necessitate horum alteruter uerax esset,pari propensu ac æquabili puer albus fieret,aut nõ fieret.utrumlibet enim præstitutam ac finitam non præ se fert naturam,sed nihilo magis aut sic, aut non sic, uel in præsenti uel futuro, se aut habet,aut habebit.

Amplius autem,si est album nunc,verum erat dicere prius,quoniam erit album.Quare semper fuit verum dicere quodlibet eorum quæ facta sunt, quoniam est, vel erit. Si autem semper verum fuit dicere,quoniam est,vel erit,non potest hoc non esse,vel non futurum esse.Quod autem non potest non fieri,impossibile est non fieri.Et quod impossibile est non fieri,necesse est fieri.Omnia igitur quæ futura sunt,necesse est fieri. Nihil igitur utrumlibet neque a fortuna erit: nam si a fortuna,non ex necessitate. 45 *At uero nec quoniam neutrum uerum est,dicere contingit,ut quoniam neque erit,neque non erit.Primum enim cum sit affirmatio falsa,negatio non uera erit. Et cum hæc falsa sit,contingit affirmationem non ueram esse. Ad hæc,si uerum sit dicere,quoniam album est & magnum,oportet esse utrumque. Si uero erit cras, oportet fore cras. Si autem neque erit, neque non erit cras,non erit utrũlibet:ut est nauale bellũ.oporteret enim neq; fieri nauale bellũ, neq; nõ fieri.*

Ad hæc si est album nunc. Quispiam autem ante huius albi genituram, album fore prædixit: uere utiq; album fore asseruit:proinde eorum quæ fiunt, unumquodq; fore uerũ erit affirmare. Quod si & in præsentibus & futuris uerum est dicere,uel esse uel fore: impossibile hoc certe non esse,si modo uerum est,aut nõ fore. Etenim fieri nõ potest,ut quod re uera futurum est,non fiat: quod autẽ fieri nõ potest,ut nõ sit uel futurum sit idẽ est cũ impossibile nõ esse aut nõ fore. Aequi pollẽt etenim ĩpossibile nõ fieri,& necesse fieri. Oĩa igitur q̃ futura sunt,necessum est fieri:qd si ex necessitate omnia;& fortuna & utrumlibet sublata sunt.si enim a fortuna,nõ utique a necessitate.



Et quemadmodum in singularium cõtradictione impossibile est utrasq; simul propositiones ueras reperiri: sic etiam utrasq; simul falsas inueniri iuxta est impossibile. Neque enim neutrum uerum esse dicere licet, puta neque erit, neque nõ erit, id est, affirmationem & negationem mẽtiri. Et huius oppugnatio expeditissima est. Nam alioqui cõtradictionis dignitas extinguitur. Acciditque ut cum affirmatio sit falsa, nõ tamẽ uera sit negatio, aut cõtra, cum falsa sit negatio, nõ cõtinuo uera sit affirmatio. Verum ad priorem rationum dubitationem, nos etiam pressius eorum opinioni, qui cõtingens subuertunt, patrocinãtes, redire par est. Nam supradictis hoc quoque attexunt, & inducunt, Si uerum fuit nasciturum puellum fore album aut magnum dicere, utrumq; iuxta & album & magnum esse oportere: & rursus, si quispiam dicat quod re uera cras erit, cras fore, illud ipsum cras futurum esse oportet. quod si neque erit, neque nõ erit cras, hoc est ipsum esse aut nõ esse, ne sic quidem erit utrumlibet. Verbi gratia, Si quis prælium nauale cras fore, aut nõ fore dicat, oporteret nõ fieri prælium nauale, neque nõ fieri .i. fieri. Hoc uero ænigmati assimile est: sic autem habet. Et ut quod dictum est apertum fiat, ut aduersus obrogãtes cõtingens, & inferentes, utrasque scilicet propositiones mẽtiri posse, rationem accingemus. Nam aduersus illos dicere habeam. Quãdoquidem cõtradictionis dignitatem nõ respuitis, sed eam admittẽtes, etiam falsas esse propositiones ponitis, uobis ipsis contraria, & se mutuo collidẽtia cõficietis. Si enim dixeritis, nauale prælium cras erit aut nõ erit, alteram propositionem ueram cõfitebimini: uera igitur affirmatio statuatur, quæ ait, nauale prælium cras erit. atqui si neutram neque affirmationem neque negationem ueram pronunciabitis, propositio cõfessa & uera est & mẽdax: hoc ergo ipsum tanquam per ænigma innuit (ut nauale prælium) oporteret enim neque fieri naumachiam neque nõ fieri: nõ fieri quidem, ob cõtradictionis prærogatiuam: fac enim, uerbi causa, uerum enũciasse negationem: atqui eam quoque falsam esse continget.

46 *Quæ ergo contingunt inconuenientia, hæc sunt, & huiusmodi alia, si omnis affirmationis & negationis, vel in ijs, quæ in vniuersalibus dicuntur, vt vniuersaliter, vel in ijs, quæ sunt singularia, necesse est oppositarum hanc quidem veram esse, illam vero falsam. Nihil autem vtrumlibet esse in ijs, quæ fiunt, sed omnia esse & fieri ex necessitate. Quare neque consultare oportebit, neque negociari, quoniam si hoc quidem facimus, erit hoc: si vero non hoc, non erit hoc. Nihil enim prohibet, & in annum decies millesimum, hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum vero non dicere. Quare ex necessitate erit, quodlibet eorum verum erat dicere tunc. At vero nec hoc differt si aliqui dixerint contradictionem vel non dixerint. Manifestum enim quod sic se habent res etiam si non hic quidem affirmauerit quid, ille vero negauerit. Non enim propter negare vel affirmare, erit, vel non erit: nec in decies millesimum annum, magis quam in quantolibet tempore. Quare si in omni tempore sic se habebat, vt alterum vere diceretur, necesse erat hoc fieri. Et vnumquodque eorum quæ fiunt, sic se habebant, vt ex necessitate fieret. Si enim vere dixit quis, quoniam erit, non potest non fieri. Et quod factum est, uerum erat dicere semper, quoniam erit. Siquidem hæc impossibilia sunt: uidemus enim esse futurorum principium, & ab eo quod consultamus, atque aliquid agimus. & quoniam est omnino in ijs, quæ non semper actu sunt, esse possibile, & non esse similiter. in quibus utrunque contingit & esse, & non esse. Quare & fieri & non fieri, & multa nobis manifesta sunt sic se habentia, ut quoniam hanc uestem possibile est incidi, & non incidetur, sed prius exteretur. Similiter autem & non incidi possibile est, non enim esset eam prius exteri, nisi possibile esset non incidi, quare & in alijs generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur.*

Huiusmodi sane eorum, qui in diuersa sunt opinione aduersus cõtingens obiectio est; quam oppidoquam multa subsequũtur absurda. Nam (quæ uero cõtingunt incõuenientia, hæc & huiusmodi alia, nõ ut de iam recẽsitis audies, absurda forte suspicatus ea quæ aduersus eum qui cõfutabatur dicta sunt: uerum quæ hanc cõtingẽtis subuersionem absurda subsequũtur subsequẽtia accipe: quæ quidem processu sermo explicabit. Quod si forte interim ignota ut uobis cõperta sermoni inserui dicens hæc, & subdens huiusmodi alia, ne miremini. Et enim cum philosophus sim, & philosophice sermociner, equidem noui suapte sponte uobis e uestigio ex cõtingẽtis subla-

tione spectata fuisse, quæ indidem absurda sequerētur. Vel si placet, sic etiam mihi uerba intellige: & trāsgressus (quæ uero sequūtur incōuenientia hæc & huiusmodi alia) hinc orationem auspicare, (Si quidem omnis affirmationis aut negationis uel in uniuersalibus ut uniuersaliter dictis, ut omnis homo, nō omnis homo: aut ī singularibus, ut Socrates hoc ipsum est, Socrates nō hoc ipsum est, necesse oppositarum propositionum affirmationis, inquam, & negationis, hanc quidem ueram esse (tu uero definite adiicito) illam autem falsam. nihil autem uel ambiguum uel utroq; propensum, quod omnibus utique philosophis Vtrumlibet uocatur, sed omnia ex necessitate uel sunt, uel fiunt, hæc & huiusmodi alia absurda sequūtur. Si enim ut ostēsum est, illinc orationem inceperis, apte coniunctum & cōnexum cohærescet, quod alioqui ambiguum uidebatur: illico enim quæque absurda cuiusmodique dicamus, ad manum præsto sunt: siquidem nec consultare oporteret, nec negociari. Nam si cōtingens sublatum sit, frustra deliberemus: in cassum negocia capessamus, quod est negociari: de necessariis enim & impossibilibus nec quis deliberabit, neque in totum negociis incumbet: nec apud sese agitabit. Nam si hoc fecero: erit hoc, ut si uirtutem elegero, animi salus mihi accedet: sin minus hoc, nō erit hoc, id est, nō alias ditescamus nisi potentatus quos uocant eorum affectemus. Verum quid tādem qui in cōtraria sunt hæresi, aiunt? Atenim nihil uetat & in decies millesimum retro annum hunc quidem dicere hoc fore, illum autem non hoc: ita necessario fore utrumcūq; uerum erat tum dicere. hoc uero est huiusmodi, assumūt quidpiam quod album est factum: deinde in eo ipso cōtradictionem fingunt, esto Socrates albus puer, & nostrum quispiam affirmationem cōstituat, Socrates est albus puer, alius negationem Socrates albus puer nō est mox rogant, num definite ac præstitute qui asseuerauit, ueridicus fuit? inducunt que nihil obesse, quominus idem etiam ante Socratis genituram quem nunc album esse puerum posuimus, Socratem album fore puerum præfaretur, ac definite uerax esset. nam qui ī eo quod album effectum est, uerum enūciauit, idem uel ante decies millesimum annum id ipsum euenturū præfatus, uerax erit. itaque si definite uerax erit, definite quoque, & state inficiator emētietur. Ex necessitate igitur manifestum erit utrum uerum tunc erat, id est affirmatio an negatio: utrācunq; enim harum multo ante prædixerint, reuera definite dixerunt. Verum hæc quidem dicant qui in cōtrario cōstituti sunt dogmate: ego uero uobis hoc dixerim, ad rerum euēta nihil cōtradictionis prædictionem cōferre. Neque enim quod prædixerint aliqui Socratem uel album puerum fore, uel nō album puerum fore, idcirco Socrates albus uel nō albus euasit. Etenim etiam si nulli profatu anteuertissent, id tamē sua spōte euenisset: nō enim ob negationem aut affirmationem res erūt aut nō erunt, sed ultro propter se ipsas emergētitum quod res orationem reddit ueram, nō etiam oratio rem. Nō enim si quis uel ante decies millesimum annum rei futuræ cōtradictionem, uel denique paulo ante efferat, ob cōtradictionem res fiet uel nō fiet. Nam si in omni tempore, scilicet præsenti, præterito, futuro, sic se haberet cōtradictio, ut in tribus esset temporibus, necesse definite alteram eius partem esse ueram, necessario id in omni materia fieret: & rursum unumquodque eorū quæ fiunt, sic se haberet ut de necessitate fieret: Si enim quod futurum est, quis prædixit uere futurum, quia uere prædixit, nō poterit nō fieri: & rursum, quod factum est, uerum esset futurum prædicere. Atqui nō in omni tempore & omni materia circūscripte uerum enūciant propositiones aut mentiuntur. Nam in singularium cōtradictione, si materiam cōtingētem & futurum tempus acceperis nō definite, uel uerum dices, uel mētieris, sed indefinite. Quocirca cōtingens erit. Quanq; si huiusmodi cōclusio in commētario nō posita est, tuopte tamē eam intellectu supple. (Siquidem hæc impossibilia) puta quæ dicūt, qui omnia ex necessitate fieri sentiunt: cōspicimus enim esse cōtingens: quod tum uel ab ipsa rerū actione liquet, nō enim omnia a natura fiūt, sed est etiam quoddam futurorum a præelectione, & a negocii gestione principium: tum ex eo, quod est omnino possibile esse, id est, cōtingens, & nō possibile esse similiter in rebus illis ī quibus ex æquo uel quiddam fieri uel nō fieri licet. Quænam porro sunt illæ res nō semper actu existētes? Nam quæcūq; semper agunt, ut, solem moueri, &, hominem respirare, necessaria utique sunt: quæ semper nō agunt, ut, solem stare, &, hominem uo lucrescere, impossibilia ferūtur: quæ uero nō semper agūt, sed interdum mouētur, interdum quiescunt, ea cōtingētia sunt. Et quod ī ambigētibus sit cōtingens, ī quibus utrūq; cōtingit hinc manifestum. ut hæc tunica, cum fluxæ sit & dissipabilis substātiæ, re uera dissecari potest: sed quoniam in meo arbitrio est, ut dissecetur, uel nō dissecetur: quātum in me situm est, nunc nō discindetur, sed ante. i. lōgo ante tempore, uel utēdo uel gestādo deteretur, aut compu trescet: & ut impossibile erat dissecari, sic nō dissecari. Quod autem possibile esset dissecari, & a me



nō diſſecta ſit,ex his quę poſui manifeſtum,ante ſcilicet detritum iri,nūquam enim ipſa ante detrita fuiſſet,niſi diſſecari etiam potuiſſet.qui enim detritum eſſet,quod ab ſeſe diſſecari nō potuiſſet? Nec uero tunica tenus orationem ſtiteris:ſed & in lapide,ligno, cęteriſque generationibus, quotquot coruptelę aut alterationi ſubiacent,& iuxta eam potentiam,quæ utriuſque uel ut ſit uel nō ſit indefinite ſuſceptrix eſt,dicuntur,idem continget, atque in totum in his quæcunque ſub arbitrium reuocantur.

47 *Manifeſtum igitur eſt, quoniam non omnia ex neceſsitate uel ſunt,uel fiunt. Sed alia quidem utrumlibet,& nihil magis uel affirmatio,uel negatio uera. Alia uero magis quidem in pluribus alte-*
48 *rum:ſed contingit fieri & alterum,alterum uero minime. Igitur eſſe quod eſt,quando eſt,& non eſse quod non eſt,quando non eſt,neceſſe eſt:ſed non omne quod eſt neceſſe eſt eſſe,nec quod non eſt neceſse eſt non eſse. Non enim idem eſt,omne quod eſt,neceſsario eſse,quando eſt,& ſimpliciter ex*
49 *neceſsitate eſse. Similiter autem & in eo quod non eſt. Et in contradictione eadem ratio eſt. Eſse quidem vel non eſſe omne neceſſe eſt,& futurum eſſe uel non:non tamen diuidentem,dicere alterum neceſſarium. dico autem vt neceſse eſt futurum eſse bellum nauale cras, vel non futurum eſse. Sed non futurum eſse cras bellum nauale neceſse eſt:vel non futurum eſse, futurum autem eſse vel non*
50 *eſse, neceſse eſt. Quare cum ſimiliter orationes veræ ſint, quemadmodum & res, manifeſtum eſt quoniam quæcunque ſic ſe habent vt vtrumlibet ſint,& contraria contingant,neceſse eſt ſimiliter ſe habere & contradictionem. quod contingit in ijs, quæ non ſemper ſunt, vel non ſemper non ſunt. Horum enim neceſse eſt alteram partem contradictionis veram eſse vel falſam,non tamen hanc vel illam,ſed vtrumlibet,& magis quidem veram alteram,non tamen iam veram vel falſam. Quare manifeſtum eſt,quoniam non eſt neceſse omnis affirmationis vel negationis oppoſitarum, hanc quidem veram illam autem falſam eſſe: non enim quemadmodum in ijs quæ ſunt ſic ſe habent,& in ijs quæ non ſunt quidem,poſsibilibus tamen eſse vel non eſse,ſed quemadmodum dictum eſt.*

Manifeſtum igitur nō omnia de neceſſitate uel eſſe,uel fieri:ſed quædam utrolibet modo,ubi, ut antea artificioſe pertractauimus, nihilo magis affirmatio aut negatio uera erit,propterea quod æquabiliter propēſum illic intelligitur cōtingens:quædam autem frequētius, in hiſque, alterum crebro:hoc autem in plerunq; cōtingētibus intelliges:in quibus affirmatio utique frequētiſſime uera,raro negatio:ut ſi quis dicat,eum,qui naſcetur,puerum, quinquedigitum fore:alter contra aiat, & neget,ut plurimum aſſeuerator uerax erit:rari enim quadridigiti aut ſedigiti naſcuntur: ſed & alterum fieri cōtingit, alterum mihi in reliquo cōtingente audito, in quo frequētiſſimum mēdacium,rariſſima ueritas inoleuit,ſæpiuſque aſſertor mētitur quam inficiator,ut ſi quis dicat, eum,qui cras lauabit,deo mouēte,& diſcedēte in hiatum tellure,in theſaurum incurſurum, alter autem inficietur,magis inficiator uerus eſt:quanquam & quod rarum eſt fieri interim contingit, ſed frequentius tamen nō fieri. Nō ſolum autem has cōtradictiones in eos qui contingens extinguunt,& omnia in neceſſitatis fatum concludunt, inferre oportet:ſed & eas quæ a rerum differentia diuiſioneque petuntur.Quoniam enim orationes rerum imagines ſunt,prout res habuerint: ita quoque orationes affectum iri neceſſe eſt. Cuiuſmodi ergo rerum natura ſit, uideamus. Nam hæ aut ſemper exiſtētes ſunt,cum & abſolute exiſtentes dicūtur, ut deus, mens, anima:nunquam enim non ſunt hæc,aut continenter utique non ſunt,quamdiu tamen ſint exiſtunt. Contra,quędam nullatenus ſunt, ut ſi quis dicat commenſilem cum latere dimetientem. Alia autem tunc nō ſunt cum non exiſtunt,attamen eſſe poſſunt. Cum ergo ita res habeant,neceſſum quoque ut ad illarum modum orationes ſeſe comparent. Ergo ea quæ ſecundum diuiſionem eſt contradictio, ut,erit,aut non erit,his,quæ neceſſario ſemper ſunt, competit. Quæ autem abſque diuiſione eſt, non ſemper exiſtentibus,puta contingentibus,conuenit:nam eſſe aliquid cum ſit, & quod nō eſt non eſſe cum non ſit,neceſſarium. Qui etenim non eſt neceſſe rem exiſtentem cum ſit,eſſe,qualis qualis illa ſit? Nam Socratem ſedere,quādiu ſedeat,neceſſe eſſe:non tamen proprie eſſe Socratem ſedere:non enim huiuſmodi eſt ut impediri nequeat Socratis ſeſſio. quo enim pacto iſtud,cum in ſtationem ſe cōmutarit? Eodem modo ſtare Socratem,cum ſedeat,impoſſibile,& non exiſtens:nō tamen ſemper non eſt,quando & id interpellatur & uariatur. Nec enim omne quod eſt quamdiu


sit, idcirco proprie necesse esse, nec quod non est quamdiu non sit, necesse proprie non esse. Non enim idem, esse quamdiu sit, & proprie esse: eodem quoque modo, non esse quamdiu non sit, non idem, ac proprie nō esse. Eandem etiam seruabis & in contradictione intelligentiam, ueram enim esse omnis contradictionis aut falsam alteram partem est necesse, non tamen aut in affirmatione aut negatione contradicentium definite uerum aut falsum intelligi potest: naumachiam enim fore, aut non fore, est necessarium: non tamen aut hoc destinate fore, aut ex necessitate illud. Quoniam ergo orationes rebus assimiles, atque ideo ueræ sunt, manifestum quod quæcunque res sic sese habent, ut contraria capere queant, & ad utrumuis formari: sic proinde cōtradictionem etiam affici sit necesse. Hoc autem in contingentibus accidit, quæ non semper existentia, aut non semper non existentia dicuntur. Non semper quidem existentia, quoniam non necessaria: non semper autem non existentia, quia non impossibilia. Horum enim contingentium alteram contradictionis portionem ueram esse aut falsam necesse est: modo totam indiuisim contradictionem capias, non tamen aut hanc, aut illam, ut discrete uel affirmatio uera sit, uel negatio mendax: sed in ambiguo ac incerto ueritas iaceat, & in his, quæ ad utrumlibet feruntur, resideat. Et quoniam contingens, ut sæpiuscule diximus, trinum est, in quibusdam cōtingentibus accidit proniorem ad uerum esse propositionum alterutram, aut magis alteram ad falsum propensam: non tamen aut ueram, fixe ac state ueram esse, aut falsam, firme falsam. Manifestum igitur non omnis affirmationis aut negationis cōtradicentium necesse esse hanc determinate ueram, illam eadem ratione esse falsam. Nec uero mihi obiicias id quod album euasit, nec quoniam hic asseuerans uerum enunciasti, sic etiam si longe ante de eodem prædixisses te definite uerum enunciaturum fuisse. Non enim ut in euentis, sic etiam habet in futuris, quibus esse uel non esse ex æquo accidit: sed ut dictum est, quid porro dictum est? in illis nimirum uel mendacium uel uerum præstitutum esse, in his autem utraque ambigere & indefinita esse.

Quoniam autem est aliquid de aliquo affirmatio significans: hoc autem vel nomen est vel innominatum, vnum autem oportet esse & de vno id quod est in affirmatione (nomen autem dictum est & innominatum prius, non homo enim nomen quidem non dico, sed nomen infinitum. vnum enim significat aliquo modo infinitum nomen, quemadmodum & non sanatur, non verbum, sed infinitum verbum) erit omnis affirmatio & negatio, vel ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo. Præter verbum autem nulla affirmatio uel negatio est. Est enim uel fuit, uel erit, uel fit, uel quæcunque alia huiusmodi uerba, ex ijs sunt quæ posita sunt. consignificant enim tempus. Quare prima est affirmatio & negatio, est homo, non est homo: deinde, est non homo, non est non homo. Rursus, est omnis homo, non est omnis non homo. Et in ijs *(quæ extrinsecus sunt) temporibus eadem ratio est.*

Quoniam igitur abunde tractatus de contingenti a nobis explicatus est, necesse est de propositionibus pariter uerba facere, tum subiecto finito & prædicato, tum utroque infinito constantibus. Ex infinito autem prædicato non aliud genus propositionis gignitur. Siquidem negatio infinitum de necessitate prędicatum sortita est. Quoniam ergo est affirmatio aliquid de aliquo significans, didicimus autem unum esse oportere in affirmatione prædicatum, similiter & unum subiectum: quod porro subiectum aut nomē est aut innominatum: erit sane omnis affirmatio & negatio, aut ex nomine & uerbo, aut ex infinito nomine & uerbo, ut, Socrates ambulat, Socrates nō ambulat. Tu uero lector intellige (non homo, enim non nomen dico, sed infinitum nomen: quemadmodum &, non sanatur, non uerbum aio, sed infinitum uerbum) per intercalationem sermoni insertum sententiæ connexionem interrumpere. Ac ne quis adeo nomen infinitum, ut, non homo, absque uerbo satis esse ad negationem suspicetur. Nam citra uerbum nec affirmatio assurgit, nec item negatio. Nam est, erit, fuit, aut fit, & quæcunque alia huiusmodi uerba ex positis sunt. Tempus enim consignificant. Est igitur prima affirmatio & negatio ex finito nomine, ut, est homo, non est homo. deinde ex infinito, ut, est non homo, nō est nō homo. Sic etiam in circunscriptis: dicitur prima quidem in illis contradictio quæ finitum subiectum habet, omnis homo est, omnis homo non est: quæ deinde infinitum, omnis non homo est, omnis non homo non est. Sic etiam in tempore quod circumcirca iacet, exacto, inquam, & futuro, negationes & affirmationes progredi decet.



SECTIO III.

1 Vando autem est tertium adiacens, prædicatur: dupliciter dicuntur oppositiones. Dico autem, ut est iustus homo, est tertium, Dico adiacere nomen, uel uerbum in affirmatione. Quare ob id ipsum quatuor erunt illæ, quarum duæ quidem ad affirmationem & negationem se habebunt secundum consequentiam ut priuationes, duæ uero minime. Dico autē quoniam est aut iusto adiacebit, aut iniusto: quare etiam negatio, quatuor igitur erunt. non iusto
Intelligimus uero quod dicitur ex ijs, quæ subscripta sunt.

A·1· Homo iustus est	C·3· Homo iustus non est.	Simplices.
C·3· Homo iniustus non est	A·1· Homo iniustus est.	Priuatoriæ.
C·2· Homo non iustus non est	A·2· Homo non iustus est.	Infinitæ.

Vniuersales & particulares, affirmationes, & negationes.

A Omnis homo est iustus	C Non omnis homo est iustus	Simplices.
C Non omnis homo non est iustus	A Omnis homo est non iustus.	Infinitæ.

Est iustus homo: huius negatio est, non est iustus homo. Est non iustus homo: huius negatio est, non est non iustus homo: est enim hoc in loco, & non est, iusto & non iusto adiacet.

SECTIONIS III PARAPHRASIS.

Qvandoquidem ergo de propositionibus ex subiecto & prædicato cõnexis abūde locupleteq; tractauimus, agesis de his quoq;, quæ tertio insuper prædicato constant, enucleemus. Tertium uero mihi insuper prædicatum, est, uerbum intellige: tertium quidem, utpote a subiecto numeratum. Nam tertius est secūdum subiectum terminus. Insuper autem prędicatum, ut quod a primo quidem prædicato, quod de subiecto dicitur, ipsum etiam de eodem dicatur: ut homo iustus est: en, est, tertius post hominem terminus: & cum de homine primum iustus dicatur, etiam ipsum, est, pręterea de eo prædicatur. Ergò in propositionibus prędicato & subiecto cõstantibus, finitum cum statuitur subiectum, una efficitur oppositio. Nam protinus prædicatum cum unum sit, particula inficiatrice assumpta negationem parit. Hic autem quoniam duo prædicata sunt, nõ utrilibet prædicatorum pars negatrix adiecta, negationem cõstituit: sed si uerbo, est, adiungatur, quod ĩ huiusmodi utiq; propositionibus primas tenet, negationem molitur: sin alteri prædicato, affirmationem ex traductione reddit. Quoniam autem omnis affirmationis negatio est, alia rursum uocata ex trāspositione negatio emanat: ut proinde sint duæ oppositiones, una simplex, ut, homo iustus est, homo iustus nõ est: altera ex trāspositione, ut, homo nõ iustus est, homo nõ iustus nõ est. Cur autem hæ ex trāspositione uocētur, progressu addiscemus. (Est autem tertium aio positum esse in affirmatione uel nomē uel uerbum) nomē utique quod omnes orationis partes generatim nomina usurpētur: uerbum, quod tempus cõsignificet. Si igitur duas cõfessi sumus oppositiones, quatuor sane hæ particulæ existent, propositiones scilicet quatuor emergent: quarum, ut uniuersam earum cumulo complectar potestatem, duæ quidem ad affirmationem & negationem se habebunt secūdum cõsecutionem, ut priuationes: duę uero minime. quod medius fidius ænigmati simile est, arcanamq; ac inexplicabilem prope in seipso propositionum uim & discrimen occulit. Quod si quis id accuratius assequi studet, huiusmodi sensum indagine exploret. Nam ut ĩ geometricis lineamētis propositiones ex interuallo ordinatim digerātur, & duæ quasi cathenæ componātur: atq; in una simplex affirmatio, homo iustus est, altrinsecus simplex negatio, homo iustus nõ est, scribatur: quęratur ergo primum, ecqua ex trāspositione propositio sequatur, id est simul cum affirmatione simplici uera sit, & quæ simul ueridica erit, sub eam subscribatur. Igitur affirmatio ex trāspositione nõ simul uerax erit. Qui enim cum hac, homo iustus est, amice cõspiret, homo nõ iustus est? Negatio igitur ex traductiõe simul uera erit, homo nõ iustus nõ est.

Quicunque

Quicunque enim homo iuſtus ſit, is nõ iuſtus profecto nõ eſt. Ergo ĩ diagrammate ſub affirmatione ſimplici negatio ex traductione collocetur:ſub autem ſimplici negatione, quæ ex interuallo ſita eſt,affirmatio ex traductione,ſcilicet ſub hac,homo iuſtus nõ eſt,hæc,homo nõ iuſtus eſt. Ob id igitur ipſum,huiuſmodi propoſitiones ex tráſpoſitione uocitatæ ſunt,quod ĩ alienis ipſæ ordinibus ſubſtituãtur:nimirum quæ eſt ex tráſlatione negatio,ſub affirmatione ſimplici: affirmatio autem ex tranſlatione,ſub negatione ſimplici. Verum quod ſimplici affirmatione uerum enunciante,negatio ex tráſpoſitione prorſus uera ſit,liquet. An uero etiam retro ſermo recurrit? ut in quibus negatio ex tráſpoſitione uera ſit,ĩ his etiam ſimul uera ſit omnino ſimplex affirmatio? Minime uero.Nam ſimplex affirmatio ĩ hominibus dũtaxat,qui iuſti ſunt,uerum pronũciabit:at ex tráſpoſitione negatio,& ĩ hominibus pariter,& nihilo ſecius ĩ aliis præter hominem plerique uera erit.Nam ſi canem nõ eſſe hominem nõ iuſtum dicas,uerax profecto ſis.Nam omnino qui homo nõ ſit,nec iuſtus ſane dicatur eſſe homo, nec item nõ iuſtus: quomodo enim cum nõ ſit homo? Attamẽ qui eum hominẽ eſſe iuſtum dicat,mẽtiatur.Quocirca negatio ex tráſpoſitione,affirmatione ſimplici latius patet. Si ergo ſimplex affirmatio, negatione ex tráſpoſitione eſt anguſtior: ex cõtrario ſimplex negatio,affirmatione ex tranſpoſitione profuſior eſt.Etenim ſi quis nõ iuſtus homo eſt,hic etiam,iuſtus homo nõ eſt,nõ tamẽ retrorſum, ſi quis nõ eſt iuſtus homo, protinus etiam homo nõ iuſtus eſt. Nam ĩ eo quod omnino nõ ſit homo, ſimplex negatio uera erit. Siquidem canis homo iuſtus nõ eſt.mẽtitur uero infinita affirmatio.Quinam enim canis homo nõ iuſtus ſit? Ergo ſimplex affirmatio ĩ uno, negatio autem ex tráſpoſitione ĩ duobus:& cõtra ſimplex negatio ĩ tribus,affirmatio uero ex tráſpoſitione ĩ duobus uera deprehẽſa eſt. Enimuero operæprecium eſt alias etiam propoſitiones,& eas quoque ſimplices,a ſimplicibus tamẽ differẽtes,quod nõ habitum,ſed priuationem prædicatum habeant,cuiuſmodi,homo iniuſtus eſt,homo iniuſtus nõ eſt,diagrammati attexere. Iam & quomodo hæc cum illis,quæ utrimque ſecus adiacent,ad cõſecutionem ſeſe habeant,uideamus. Quod hic etiam affirmatio ſimplicem affirmationem nõ cõſequatur,ſed negatio,liquidum eſt. Igitur ſub affirmatione ſimplici,priuatiua negatio protinus collocetur,homo,puta,iniuſtus nõ eſt:ſubſequitur enim eam & pariter uerum enunciat. Sub autem priuatiua negatione negatio ex traductione. Rurſum ſub ſimplici negatione, priuatiua protinus affirmatio,homo iniuſtus eſt.ſub hac autem affirmatio ex tráſpoſitione,homo nõ iuſtus eſt. Sciẽdum porro ſimplicem affirmationem ĩ uno,negationem ex traductione ĩ duobus, priuatiuam negationem ĩ tribus ueram eſſe. Nam homo iniuſtus nõ eſt,& ĩ homine, qui iniuſtus nõ ſit, ut Socrate,& in omni alio præter hominem negocio,uera erit. Equus ſiquidem homo iniuſtus nõ eſt: ſed & ĩ hominibus quidem certe,qui ſunt,necdum tamẽ huiuſmodi habitus aut priuationis compotes exiſtunt,uerum efferet.Nam recens genitus infans,homo iniuſtus nõ eſt. Ambæ ergo negãtes tum priuatio,tum ea quæ ex tráſlatione eſt, ſimplici affirmatione ampliores ſunt: uerum priuatiua illius eſt tripla,tráſlatiua dupla.Cõtra affirmatio ex tráſpoſitione & priuatio coactiores ſũt ſimplici negatione.Nam ſimplex negatio ĩ tribus,priuatiua affirmatio ĩ uno,tráſpoſitiua ĩ duobus uerum enũciant.Proinde ambę affirmationes ſimplici negatione ſunt arctiores.Quam igitur proportionem priuatiua negatio ad ſimplicem affirmationem habet, eádem quoque negatio ex tranſpoſitione ad ſimplicem affirmationem, qua amplius, obtinet:qua ratione enim tria ad unum cõparãtur,eadem & duo ad unum,qua amplius. nõ tamẽ qua ratione ſimplex affirmatio ad negationem ex tráſpoſitione ſe habet,eadem cõtinuo priuatiua etiam negatio,ad eam quæ ex tráſpoſitione eſt reſpõdet.Nec enim qua proportione unum ad duo,eadem tria ad duo cõſtant. Alteram denuo percurre coniugationem, & dicito quam proportionem priuatiua affirmatio ad ſimplicem negationem habet,eádem etiam affirmatio ex tráſpoſitione ad ſimplicem negationem,qua minus, reſpõſum obtinẽt:quam ſiquidem rationem unum habet ad tria,eandem & duo ad tria, qua minus:non tamen quam ſimplex negatio ad affirmationem ex tranſpoſitione rationem habet, etiam priuatiua affirmatio ad affirmationem ex tranſpoſitione eandem obtinet. Nec enim quo ſe modo tria ad duo habent, eodem quoque unum ad duo ſe habet. Tu ergo cum audis, (quarum duæ ad affirmationem,& negationem ſe habebunt, duæ uero minime) duas ex tranſpoſitione infra locatas intellige propoſitiones:affirmationem autem & negationem ſimplices:priuationes uero,priuatorias enũciationes: poſtremo hoc ipſum,duæ uero minime,duas nimirum ſimplices accipe:& quod ait huiuſmodi eſt,Quam habẽt comparationem priuatiuæ cum ſimplicibus:eádem etiam eas,quæ ex tráſpoſitione ſunt,cum ſimplicibus habere. Nõ tamẽ quam rationem ſimplices,

ad eas quæ ex tráſpoſitione ſunt obtinent:eádem quoque priuatiuas, ad eas quæ ex tráſpoſitione ſunt habere. In hac igitur ſimplici affirmatione, homo iuſtus eſt, extrinſecus adſcribe, minor ambabus, priuatiua ſcilicet, & ea, quę ex tráſpoſitione eſt, affirmatione. At ī priuatoria itidem negatione adnota, amplior, tum ſimplici, tum tráſpoſita. In tráſlata autem negatione adſcribito, amplior ſola ſimplici. Ad hæc ī ſimplici affirmatione unam ducito lineam:ī priuatiua negatione tres:ī tráſpoſitiua uero duas. Rurſum ī ſimplici negatione pariter adſcribe ambabus latior, priuatiua nimirum affirmatione, & ea quæ traductione fit:tres quoque educito lineas. In priuatiua autem affirmatione unicam:& ī margine adnota, anguſtior, tum ſimplici negatione, tum ea quę ex tráſpoſitione eſt. Poſtmodum ī tráſlatitia affirmatione duas quidem ducito lineas, ſed adſcribe, minor ſola ſimplici. Ad lineas ergo métem intédens, & ea quæ adnotata ſunt, perfacile táquam ſub obtutu manifeſtam ſentétiæ ueritatem ītueberis. Quatuor igitur hę erút particulę:quo tádem pacto quatuor, & cuiuſmodi, ex his denique quę ſubſcribemus, aſſequemur. homo iuſtus eſt, ſimplex affirmatio: eiuſdemque ſimplex negatio, homo iuſtus nō eſt. En una oppoſitio, quæ ſimplices habet propoſitiones. Et rurſus altera, ſubter quam enúciata ex traductione, homo nō iuſtus eſt, affirmatio ex tráſpoſitione, homo nō iuſtus nō eſt, negatio ex tráſpoſitione, locátur. Etenim hic, eſt, aut iuſto debet omnino adhæreſcere, ut homo iuſtus eſt:aut nō iuſto, ut, homo nō iuſtus eſt. Cæterum quaſdá extrinſecus γραμμικὰς id eſt, lineares hic ſpeculationes occupemus. Ea quæ ſút, & nō ſút, quæ ī hiſce notátur, aut iuſta ſút, aut iniuſta, aut media, aut ſuſceptiua, aut incapacia. Idque poſtremum bifariam:ſiquidem aut cum nō ſint, in ſuſceptiua exiſtút:aut cum utique ſint, minime tamé ad capiédum habilia. Præterea autem aſſerimus, cum ī uno horum quinque quolibet affirmatio uerax fuerit, ī quatuor ueram eſſe protinus negationem:& cum ī duobus uera fuerit aſſertio, ī reliquis tribus ueridicam eſſe negationem:cum ī quatuor uera fuerit affirmatio, ī reliquo uno ueram eſſe negationem. Ita deinceps quoque, ſi, homo iuſtus eſt, dicemus, ī uno uerum aſſeret affirmatio, ī ſolo quippe homine: At uero negatio, homo iuſtus nō eſt, ī quatuor ueritatem enúciabit: ut pote in homine iniuſto, ī medio, ī ſuſceptiuo, ut ī puero: ī nō capace, ut lapide:aut ī eo adeo quod nō eſt.

Priuatiuæ rurſus húc ī modum. homo iniuſtus eſt, ī uno uerum effert, puta homine iniuſto: at homo iniuſtus nō eſt, ī reliquis quatuor uerum proloquitur. Ad eúdem quoque modum & in enúciatis ex tráſpoſitione, nimirum, homo nō iuſtus eſt, ī tribus uerax, iniuſto puta, ſuſceptiuo, & medio. At homo nō iuſtus nō eſt, quę quidem eſt tráſpoſititia negatio, ī reliquis duobus uera erit, ut iuſto, & nō ſuſceptiuo. Quocirca duos Ariſtoteles ordines digerit:ac ī priore, ſimplicem céturiat affirmationem, quæ ī uno uera eſt: ſecúdum quam, negationem priuatoriam, quæ ī quatuor uerum dicit:tertiam deinde negationem ex tráſpoſitione, quæ uera ī duobus eſt. In ſecúdo ordine ſimplicem ſtatuit negationem, quæ ī quatuor uerum enúciat: cui deinde affirmationem ſuccéturiat priuatiuam, quam ī uno ueram probauimus:tertiam ex tráſpoſitione affirmationem, quę ī tribus ſane uera eſt. Aequiparatur ergo:ſcilicet comparatur affirmatio ſimplex affirmationi priuatoriæ, & negatio ſimplex negationi priuatiuæ, ac denique affirmatio affirmationi:ī unō ſiquidem utraque uerum prodit. Statuútur ergo inuicem angulares, ut ī deſcriptione oſtédemus. Igitur ī priore ordine dicimus, quemadmodum quatuor cum duobus comparátur, dupla etenim duorum quatuor, itidem quoque duo cum uno. cōſimiliter ſiquidem duo ſút unius dupla. nō tamé quam habét quatuor cum duobus comparationem, eádem quoque quatuor cum uno habere:illud etenim, puta duo, duplum eſt, hoc autem, puta quatuor, quadruplum. Itaque priuationes, ſi compares, maiorem, ad ſimplices, amplitudinem obtinét, quam tráſlatitiæ ad ſimplices. Nam & ipſas propoſitiones aſſumere nihil uetat. Nam ut priuatiuæ cum enunciationibus ex tranſlatione conferuntur, ſic & tranſpoſititiæ cum ſimplicibus. non tamen quod priuatiuæ propoſitionibus ex tranſpoſitione, idem quoque priuatiuæ ſimplicibus proportionis reddunt. Amplius ſiquidem. Rurſus in ſecundo ordine hoc modo. Simplex ſane negatio, priuatiua affirmatio in quatuor uera eſt, priuatiua in uno, quæ tranſpoſitione conſtat affirmatio, in tribus. Vt igitur unum ad tria ſeſe habet. (Nam unum eſt trium utique portio) non ſecus ſeſe tria ad quatuor reddunt: una ſiquidem particula deſit: haudquaquam tamen ut unú cú tribus confertur, ſic etiam unum cú quatuor cōparabitur. Anguſtius ſiquidé. Ac in propoſitionibus in hunc ſane modum. Quemadmodum priuationes ad eas quæ ex tranſpoſitione conſiunt, ſe habent: ſic & quæ ex tranſpoſitione ſunt, ad ſimplices. Non tamé ut priuationes ad tráſlatitias ſeſe habent, ſic & ad ſimplices afficientur. Anguſtius enim. Itaq; iuxta magis ac minus priuationes a ſimplicibus diſcriminátur.

Hæc igitur quemadmodum in resolutiuis dictum est, sic sunt disposita. Similiter autem se habebunt & si uniuersalis nominis fit affirmatio, ut omnis est homo iustus: negatio, non omnis est homo iustus: omnis est homo non iustus, non omnis est homo non iustus. Sed non similiter angulares ueras esse contingit: contingit autem aliquando: hæ igitur duæ positæ sunt. Aliæ autem duæ ad non homo, quasi subiectum aliquod additum, ut, est iustus non homo, non est iustus non homo: est non iustus non homo, non est non iustus non homo: plures autem his non erunt oppositiones. Hæ autem extra illas, ipsæ secundum se erunt: ut nomine utentes eo quod est non homo.

Verum hæc quidem, ut ĩ analyticis dicũtur, sic etiam hic anquisita sũt. Tu uero eãdem commemoratarum propositionum obseruationem, tum simplicium, tum ex trãspositione cõfectarum, tum priuatiuarum, ĩ definitis etiamnum custodire propositionibus debes. ĩ his siquidem est eadem quoque proportio & cõiugatio. Quocirca quam habẽt priuatiuæ ad simplices rationem, eãdem etiam habẽt quæ ex trãspositione sũt, ad simplices. Nõ item quam simplices ad traductitias proportionem habẽt, eãdem & priuatiuæ ad traductitias. Nam eadem omnino proportione uicissim comparãtur definitæ, qua & idefinitæ. Quin & propositionum explicatio itidem nihilum euariat, omnis homo iustus est, simplex affirmatio iferior priuatione negatiua & trãspositione: omnis homo iustus nõ est, simplex negatio, sed uberior & priuatione assertiua & trãspositione. Porro subter simplicem propositionem priuatoria negatio tibi collocãda est, nõ omnis homo iniustus est: & sub hac, negatio ex trãspositione, nõ omnis homo nõ iustus est. Ac denuo subter negationem simplicem priuatiua assertio, omnis homo iniustus est: sub qua statim affirmatio ex trãspositione, omnis homo nõ iustus est. Quod attinet ergo tum ad propositionum explicationem, tum comparationem, nihil sane ab idefinitis definitæ euariãt: atque hoc prorsus solo dissidẽt, quod ĩ illis utiq;, nimirum idefinitis, omnes e regiõe secũdum dimetiẽtem sitæ propositiões aiẽtes cum aiẽtibus, & negãtes cum negãtibus, ueræ simul esse possũt. In definitis uero enũciationibus, quæ secũdum diametrum digestæ sũt, ueras simul esse cõtingit: sed nõnũquam. Ratio quod idefinitæ cum parem & eãdem cum particularibus uim obtineãt, ĩ sylua cõtingẽte omnes sane simul esse ueræ queunt: quoniam ĩ subiecto particulari propositiones hæ sumãtur. Quod si mihi descriptionem ad amussim digesseris, tum indefinitarum, tum etiam definitarum, ac e regione secũdum dimetientem lineas duxeris, ita ut duæ e diuerso lineæ per diametrum respõsum habeãt, una a propositione, homo iustus est, in eam, homo iniustus est: & altera ab illa rursum eadem, in eam, homo non iustus est: & in negantibus eodem uicissim modo: assertiones cum assertionibus simul uerum dicere deprehendes, ut, homo iustus est, cum hac, homo iniustus est: & illa, homo nõ iustus est. simul enim ueritatem hæ tres effantur: quidam enim homo iustus est, & quidam homo iniustus, & quidam homo non iustus. Itidem & negationes cum negationibus, ut hanc, homo iustus nõ est, cum hac, homo iniustus non est, & homo non iustus non est: quidam enim homo iustus non est, & quidam homo iniustus non est, & quidam homo non iustus non est. At uero in determinatis propositionibus haudquaquam consequutio eadem seruatur. Nam in utroque diagrammate cum determinatarum propositionum tum indeterminatarum per diametrum affirmationes inuicem & negationes locari contingit. Verumtamen in determinatis in contingẽte sylua affirmationes inter se & negationes simul uerum dicere accidit: quoniam particularibus æquipollent. At ĩ determinatis affirmationes simul ueras esse cuiuscũque sylua modi fuerit nequaquam licet. Nam quinam rogo, omnis homo iustus est, ĩ uero cum hac coniuret, omnis homo iniustus est, aut hac, omnis homo nõ iustus est? Negationes tamẽ in cõtingẽti dũtaxat materia simul esse ueras licet. Nam quoniam hominum alii iusti, alii iniusti sunt, alii intermedia quadam affectione præditi, præclarum utique est omnes propositas negationes euadere simul ueras posse. Siquidem una cum hac, nõ omnis homo iustus est, hæc quoq; uera est, nõ omnis homo iniustus est: & hæc, nõ omnis homo nõ iustus est. (Hoc igitur ipsum cõtingit aliquãdo) sic audiẽdum est: nõ quasi proinde omnes ad diametrum positæ ĩ determinatis aliquãdo simul ueræ sint: quod quidem fieri nõ potest, sed quasi quædam ex ipsis, ut negationes in contingenti sylua, uerum simul aiant.

In quibus uero, est, non conuenit, ut in eo quod est sanum esse, & ambulare in iis idem facit sic positum, ac si, est, adderetur, ut est, sanus est omnis homo, non sanus est omnis homo: sanus est omnis

ad eas quæ ex trāſpoſitione ſunt obtinent:eādem quoque priuatiuas, ad eas quæ ex trāſpoſitione ſunt habere. In hac igitur ſimplici affirmatione, homo iuſtus eſt, extrinſecus adſcribe, minor ambabus, priuatiua ſcilicet, & ea, quę ex trāſpoſitione eſt, affirmatione. At ī priuatoria itidem negatione adnota, amplior, tum ſimplici, tum trāſpoſita. In trāſlata autem negatione adſcribito, amplior ſola ſimplici. Ad hæc ī ſimplici affirmatione ūnam ducito lineam: ī priuatiua negatione tres: ī trāſpoſitiua uero duas. Rurſum ī ſimplici negatione pariter adſcribe ambabus latior, priuatiua nimirum affirmatione, & ea quæ traductione fit: tres quoque educito lineas. In priuatiua autem affirmatione unicam: & ī margine adnota, anguſtior, tum ſimplici negatione, tum ea quę ex trāſpoſitione eſt: Poſtmodum ī trāſlatitia affirmatione duas quidem ducito lineas, ſed adſcribe, minor ſola ſimplici. Ad lineas ergo mētem intēdens, & ea quæ adnotata ſunt, perfacile tāquam ſub obtutu manifeſtam ſentētiæ ueritatem ītueberis. Quatuor igitur hę erūt particulę: quo tādem pacto quatuor, & cuiuſmodi, ex his denique quę ſubſcribemus, aſſequemur. homo iuſtus eſt, ſimplex affirmatio: eiuſdemque ſimplex negatio, homo iuſtus nō eſt. En una oppoſitio, quæ ſimplices habet propoſitiones. Et rurſus altera, ſubter quam enūciata ex traductione, homo nō iuſtus eſt, affirmatio ex trāſpoſitione, homo nō iuſtus nō eſt, negatio ex trāſpoſitione, locātur. Etenim hic, eſt, aut iuſto debet omnino adhæreſcere, ut homo iuſtus eſt: aut nō iuſto, ut, homo nō iuſtus eſt. Cæterum quaſdā extrinſecus γραμμικῶς id eſt, lineares hic ſpeculationes occupemus. Ea quæ ſūt, & nō ſūt, quæ ī hiſce notātur, aut iuſta ſūt, aut iniuſta, aut media, aut ſuſceptiua, aut incapacia. Idque poſtremum bifariam: ſiquidem aut cum nō ſint, in ſuſceptiua exiſtūt: aut cum utique ſint, minime tamē ad capiēdum habilia. Præterea autem aſſerimus, cum ī uno horum quinque quolibet affirmatio uerax fuerit, ī quatuor ueram eſſe protinus negationem: & cum ī duobus uera fuerit aſſertio, ī reliquis tribus ueridicam eſſe negationem: cum ī quatuor uera fuerit affirmatio, ī reliquo uno ueram eſſe negationem. Ita deinceps quoque, ſi, homo iuſtus eſt, dicemus, ī uno uerum aſſeret affirmatio, ī ſolo quippe homine: At uero negatio, homo iuſtus nō eſt, ī quatuor ueritatem enūciabit: ut pote in homine iniuſto, ī medio, ī ſuſceptiuo, ut ī puero: ī nō capace, ut lapide: aut ī eo adeo quod nō eſt.

Priuatiuæ rurſus hūc ī modum. homo iniuſtus eſt, ī uno uerum effert, puta homine iniuſto: at homo iniuſtus nō eſt, ī reliquis quatuor uerum proloquitur. Ad eūdem quoque modum & in enūciatis ex trāſpoſitione, nimirum, homo nō iuſtus eſt, ī tribus uerax, iniuſto puta, ſuſceptiuo, & medio. At homo nō iuſtus nō eſt, quę quidem eſt trāſpoſititia negatio, ī reliquis duobus uera erit, ut iuſto, & nō ſuſceptiuo. Quocirca duos Ariſtoteles ordines digerit: ac ī priore, ſimplicem cēturiat affirmationem, quæ ī uno uera eſt: ſecūdum quam, negationem priuatoriam, quæ ī quatuor uerum dicit: tertiam deinde negationem ex trāſpoſitione, quæ uera ī duobus eſt. In ſecūdo ordine ſimplicem ſtatuit negationem, quæ ī quatuor uerum enūciat: cui deinde affirmationem ſuccēturiat priuatiuam, quam ī uno ueram probauimus: tertiam ex trāſpoſitione affirmationem, quę ī tribus ſane uera eſt. Aequiparatur ergo: ſcilicet comparatur affirmatio ſimplex affirmationi priuatoriæ, & negatio ſimplex negationi priuatiuæ, ac denique affirmatio affirmationi: ī uno ſiquidem utraque uerum prodit. Statuūtur ergo inuicem angulares, ut ī deſcriptione oſtēdemus. Igitur ī priore ordine dicimus, quemadmodum quatuor cum duobus comparātur, dupla etenim duorum quatuor, itidem quoque duo cum uno. cōſimiliter ſiquidem duo ſūt unius dupla. nō tamē quam habēt quatuor cum duobus comparationem, eādem quoque quatuor cum uno habere: illud etenim, puta duo, duplum eſt, hoc autem, puta quatuor, quadruplum. Itaque priuationes, ſi compares, maiorem, ad ſimplices, amplitudinem obtinēt, quam trāſlatitiæ ad ſimplices. Nam & ipſas propoſitiones aſſumere nihil uetat. Nam ut priuatiuæ cum enunciationibus ex tranſlatione conferuntur, ſic & tranſpoſititiæ cum ſimplicibus. non tamen quod priuatiuæ propoſitionibus ex tranſpoſitione, idem quoque priuatiuæ ſimplicibus proportionis reddunt. Amplius ſiquidem. Rurſus in ſecundo ordine hoc modo. Simplex ſane negatio, priuatiua affirmatio in quatuor uera eſt, priuatiua in uno, quæ tranſpoſitione conſtat affirmatio, in tribus. Vt igitur unum ad tria ſeſe habet. (Nam unum eſt trium utique portio) non ſecus ſeſe tria ad quatuor reddunt: una ſiquidem particula deſit: haudquaquam tamen ut unū cū tribus confertur, ſic etiam unum cū quatuor cōparabitur. Anguſtius ſiquidē. Ac in propoſitionibus in hunc ſane modum. Quemadmodum priuationes ad eas quæ ex tranſpoſitione conſiunt, ſe habent: ſic & quæ ex tranſpoſitione ſunt, ad ſimplices. Non tamē ut priuationes ad trāſlatitias ſeſe habent, ſic & ad ſimplices afficientur. Anguſtius enim. Itaq; iuxta magis ac minus priuationes a ſimplicibus diſcriminātur.

Hæc igitur quemadmodum in resolutiuis dictum est, sic sunt disposita. Similiter autem se habebunt & si uniuersalis nominis fit affirmatio, ut omnis est homo iustus: negatio, non omnis est homo iustus: omnis est homo non iustus, non omnis est homo non iustus. Sed non similiter angulares ueras esse contingit: contingit autem aliquando: hæ igitur duæ positæ sunt. Aliæ autem duæ ad non homo, quasi subiectum aliquod additum, ut, est iustus non homo, non est iustus non homo: est non iustus non homo, non est non iustus non homo: plures autem his non erunt oppositiones. Hæ autem extra illas, ipsæ secundum se erunt: ut nomine utentes eo quod est non homo.

Verum hæc quidem, ut ĩ analyticis dicũtur, sic etiam hic anquisita sũt. Tu uero eãdem commemoratarum propositionum obseruationem, tum simplicium, tum ex trãspositione cõsectarum, tum priuatiuarum, ĩ definitis etiamnum custodire propositionibus debes. ĩ his siquidem est eadem quoque proportio & cõiugatio. Quocirca quam habẽt priuatiuæ ad simplices rationem, eãdem etiam habẽt quæ ex trãspositione sũt, ad simplices. Nõ item quam simplices ad traductitias proportionem habẽt, eãdem & priuatiuæ ad traductitias. Nam eadem omnino proportione uicissim comparãtur definitæ, qua & ĩdefinitæ. Quin & propositionum explicatio itidem nihilum euariat, omnis homo iustus est, simplex affirmatio ĩferior priuatione negatiua & trãspositione: omnis homo iustus nõ est, simplex negatio, sed uberior & priuatione assertiua & trãspositione. Porro subter simplicem propositionem priuatoria negatio tibi collocãda est, nõ omnis homo iniustus est: & sub hac, negatio ex trãspositione, nõ omnis homo nõ iustus est. Ac denuo subter negationem simplicem priuatiua assertio, omnis homo iniustus est; sub qua statim affirmatio ex trãspositione, omnis homo nõ iustus est. Quod attinet ergo tum ad propositionum explicationem, tum comparationem, nihil sane ab ĩdefinitis definitæ euariãt: atque hoc prorsus solo dissidẽt, quod ĩ illis utiq;, nimirum ĩdefinitis, omnes e regiõe secũdum dimetiẽtem sitæ propositiões aiẽtes cum aiẽtibus, & negãtes cum negãtibus, ueræ simul esse possũt. In definitis uero enũciationibus, quæ secũdum diametrum digestæ sũt, ueras simul esse cõtingit: sed nõnũquam. Ratio quod ĩdefinitæ cum parem & eãdem cum particularibus uim obtineãt, ĩ sylua cõtingẽte omnes sane simul esse ueræ queunt; quoniam ĩ subiecto particulari propositiones hæ sumãtur. Quod si mihi descriptionem ad amussim digesseris, tum indefinitarum, tum etiam definitarum, ac e regione secũdum dimetientem lineas duxeris, ita ut duæ e diuerso lineæ per diametrum respõsum habeãt, una a propositione, homo iustus est, in eam, homo iniustus est: & altera ab illa rursum eadem, in eam, homo non iustus est: & in negantibus eodem uicissim modo: assertiones cum assertionibus simul uerum dicere deprehendes, ut, homo iustus est, cum hac, homo iniustus est: & illa, homo nõ iustus est. simul enim ueritatem hæ tres effantur: quidam enim homo iustus est, & quidam homo iniustus, & quidam homo non iustus. Itidem & negationes cum negationibus, ut hanc, homo iustus nõ est, cum hac, homo iniustus non est, & homo non iustus non est: quidam enim homo iustus non est, & quidam homo iniustus non est, & quidam homo non iustus non est. At uero in determinatis propositionibus haudquaquam consequutio eadem seruatur. Nam in utroque diagrammate cum determinatarum propositionum tum indeterminatarum per diametrum affirmationes inuicem & negationes locari contingit. Verumtamen in determinatis in contingẽte sylua affirmationes inter se & negationes simul uerum dicere accidit: quoniam particularibus æquipollent. At ĩ determinatis affirmationes simul ueras esse cuiuscũque sylua modi fuerit nequaquam licet. Nam quinam rogo, omnis homo iustus est, ĩ uero cum hac coniuret, omnis homo iniustus est, aut hac, omnis homo nõ iustus est? Negationes tamẽ in cõtingẽti dũtaxat materia simul esse ueras licet. Nam quoniam hominum alii iusti, alii iniusti sunt, alii intermedia quadam affectione præditi, præclarum utique est omnes propositas negationes euadere simul ueras posse. Siquidem una cum hac, nõ omnis homo iustus est, hæc quoq; uera est, nõ omnis homo iniustus est: & hæc, nõ omnis homo nõ iustus est. (Hoc igitur ipsum cõtingit aliquãdo) sic audiẽdum est: nõ quasi proinde omnes ad diametrum positæ ĩ determinatis aliquãdo simul ueræ sint: quod quidem fieri nõ potest; sed quasi quædam ex ipsis, ut negationes in contingenti sylua, uerum simul aiant.

In quibus uero, est, non conuenit, ut in eo quod est sanum esse, & ambulare in iis idem facit sic positum, ac si, est, adderetur, ut est, sanus est omnis homo, non sanus est omnis homo: sanus est omnis



non homo,non ſanus eſt omnis non homo:non enim dicendum eſt, non omnis homo : ſed,non,negationem ad id quod eſt homo,addendum eſt:omnis enim non uniuerſale ſignificat, ſed quoniam uniuerſaliter.Manifeſtum eſt autem ex eo quod eſt,ſanatur homo,non ſanatur homo:ſanatur non homo,non ſanatur non homo:hæc enim ab illis differunt,eo quod uniuerſaliter non ſunt. quare omnis uel nullus nihil aliud conſignificat quam uniuerſaliter de nomine uel affirmationem uel negationem, ergo & reliqua eadem oportet apponi.


Verum ī quibus enunciationibus,eſt,actu poſitum eſt,manifeſta eſt & expedita facilitas: ī quibus autem,eſt,nō iungitur,ī his profecto ſpinoſior ac operoſior explicatio uideatur:aſſimilis eſt tamē illis quæ actu,eſt,adiacens habēt,ut ī his,Socrates ualet,Socrates ambulat : hæc enim potētia, eſt,complectūtur.Nam ſi tibi lubet,uerbum ī ipſum,eſt,& participium diſſolues:& pro ualet,ualens eſt, enūciabis. Etenim ī his idem quoque efficiunt propoſitiones ſic poſitæ . Sic autem habeto,Hic mihi propoſitum eſſe,ut te edoceam etiam ī propoſitionibus his,quæ uice uerbi,eſt,aliud quodpiam uerbum ſortiūtur,nō ī ſuper prędicatum,quod fieri nō poteſt,ſed dūtaxat prædicatū, tum infinito quidem certe ſubiecto rurſum præditæ ſunt,eodem prorſus modo negationes fieri, atque ſi,eſt,prædicatum actu fuiſſet,ut,ualet omnis homo,affirmatio uerbum,eſt,poteſtate continens:&,ualens omnis homo eſt,altera affirmatio,uerbum,eſt,actu habens. Rurſumque,nō ualet omnis homo,negatio,eſt,potētia amplectens:nō ualens omnis homo eſt, negatio actu,eſt,habens. Nō enim huius affirmationis,omnis nō homo ualet,negatio fuerit, nō omnis homo ualet,ſed certe,omnis nō homo nō ualet.hanc enim negationem,nō,ſcilicet negationis cauſam,etiam ī negationibus dictioni homo præponere debemus,ut idem ſuperſtes maneat infinitum ſubiectum,& ī affirmationibus,& ī negationibus:ut,omnis nō homo ualet,omnis nō homo nō ualet. Si enim dixeris,nō omnis homo ualet,aliud ī negatione ſubiectum ponens,præter normam feceris : cum alioqui abſurdum ſit affirmatione de omnibus nō hominibus ualere prædicāre , negationem de hominibus illud idem abnuere:Quocirca nō dicēdum,nō omnis homo,ſed omnis nō homo.Nam, omnis,nō uniuerſale ſignificat, ſed quod uniuerſaliter. Sed hoc nulla cū antegreſſis ſequela necti, quibuſdam uidetur:eſt uero tanquam quædam ad ſequentia præparatio.Nam quoniam in propoſitionibus etiam indefinitis eādem docere obſeruationem paro,idcirco hac ego dictiuncula proluſi,quæ indicat hoc diſtare ſolo determinatas propoſitiones ab indeterminatis,quod illę uniuerſales,hæ particulares ſint. Cætera omnia conſentiunt. Vnde in propoſitionibus etiam indefinitis idem obſeruare debes,ut,ualet homo,nō ualet homo:ualet nō homo,nō ualet nō homo. Omnis enim & nullus nihil aliud ſignificant, quam nominis uniuerſaliter elati,affirmationem,aut negationem. Nam alia eadem adiungere neceſſum eſt. Omnino enim & ſubiectus terminus & prędicatus in contradicentibus propoſitionibus idem obſeruetur.

6 *Quoniam uero contraria eſt negatio ei quæ eſt,animal omne eſt iuſtum, illa quæ ſignificat quoniam nullum eſt animal iuſtum:hæ quidem manifeſtum eſt quoniam nunquam erunt neque ueræ ſimul,neque in eodem:his uero oppoſitæ,erunt aliquando,ut non omne animal iuſtum eſt,& eſt aliquod animal iuſtum.ſequuntur uero & hæ,eam quidem quæ eſt,omnis eſt homo non iuſtus,hæc,nullus homo eſt iuſtus : illam uero quæ eſt,aliquis eſt homo iuſtus, oppoſita, quoniam non omnis homo eſt non iuſtus. neceſſe eſt enim aliquem eſſe.*

Quoniam autem negatio nullum animal iuſtum eſt , contraria eſt huic, omne animal iuſtum eſt,manifeſtum has in contingenti ſylua cōmentituras,ac nunquam nec ueras ſimul,nec item ī eodem ſimul futuras, quorum alterum ī uerbis, alterum ī negotiis ſignificatis intellige. Hæc enim mutuo cōgredi & cōcurrere licet:aut etiam ſic, ſimul ſane ueras eſſe poſſe propoſitiones,nō tamē in eodem,ut,omnis homo bipes,nullus equus bipes. Et rurſus ī eodem quidem ueras,nō tamen ſimul:ut cum dicimus,omnis homo ī aureo genere erat iuſtus,nullus homo ī ferreo genere eſt iuſtus. Et omnis quidem ac nullus ī contingenti,ut dictum eſt,materia,cōmentiuntur : ipſis autem oppoſitæ,ut aliquis,&,nō omnis,opponitur etenim aliquis nulli, & nō omnis omni, ī eadem ſylua contingenti ueræ ſimul ſunt: ut,aliquod animal iuſtum eſt,&,nō omne animal iuſtū eſt. Ac ſupra quidem,qua ſibi totæ prædicatarum ex tertio propoſitionum contradictiones inuicem con

ſecutione & ordine reſponderet, didicimus, ad hoc particulas ipſarum mutuo comparauimus : in præſentia uero nobis ſcopus eſt illas propoſitiones i medium producere, quæ eandem ſane quantitatem obtinent: ſed ſigillatim tamen inter ſe cōferuntur. Igitur hanc, omnis homo nō iuſtus eſt, iſta ſequitur, nullus eſt homo iuſtus : hanc, aliquis eſt homo iuſtus, iſta, nō omnis homo non iuſtus eſt. Si enim, omnis nō iuſtus homo, clarum utique, nullum eſſe hominem iuſtum : & ſi non omnis homo nō iuſtus, de neceſſitate aliquis homo iuſtus eſt. Sed quādo id quod dicimus, nulladum regula circunſcriptum eſt, ac prout quæꝗ propoſita fuerit enunciatio curioſa nimis & exacta ſit anxietate, & uniuerſarum propoſitionum enumeratione opus futurum, ut conſecutricem reperias, neceſſum eſſe certiorem tibi regulam afferre duximus, ut eam ſecutus haudquaquam a conſecutrice antecedentis propoſitione aberres. Eſt autem huiuſmodi. Omnis propoſitio, tum in ſuis ipſius partibus, tum ut tota per ſeipſam ſpectatur: ut tota, inquam, per ſeipſam, & iuxta qualitatem, & quantitatem, ſcilicet affirmationem & negationem, quod plane qualitatis eſt : aut ſecundum uniuerſale & particulare, quę ſub quantitatis genus rediguntur. At per ſuas ipſius partes ſpectatur, cum uel ſubiectum, uel prædicatum ſpeculamur, & ſubiectum diducimus i finitum & infinitum: prædicatum i ſimplex, & tranſpoſititium: quæ cum ita ſint, hanc propoſitę enunciationis eſſe conſectaneam pronunciamus: quæ & ſubiecto & quantitate cōſimiliter cum ipſa, prędicato & qualitate habeat diuerſe. Ponatur ergo propoſitio quæ dicit, Omnis homo animal eſt: ſpectemuſque iuxta propoſitam regulam, quænam eius propoſitio erit conſectatrix. Quoniam igitur ipſa ſubiecti eſt finiti, prædicati ſimplicis, tum autem uniuerſalis & affirmatiua, eius cōſecutricem eſſe oportebit eiuſdem cum illa quantitatis, ac uniuerſalem, ad hæc ſubiecti finiti, prædicato autem & qualitate diuerſam. Nam quia illa eſt aſſertiua, eſto illius ſecutrix abdicatiua. Et quoniam illa ſimplex habet prædicatum, habeat hæc prædicatum ex tranſpoſitione. Quænam ergo tandem ſit? Hæc nempe, nullus homo non animal eſt. Nam ſi omnis homo animal eſt, profecto nullus homo non animal eſt. En cōmune in utriſq; hic propoſitionibus ſubiectum, præterea quantitas : diuerſum autem prædicatum, quin etiam & qualitas. Hancce igitur regulam ſequutus nullo negotio aſſectatrices affirmationum negationes dep̄hendes, negationumq; uiciſſim affirmationes: ut eſt affirmatio, omne triangulum duos rectos habet, quam ſequitur iuxta regulam, nullum triangulū non duos rectos habet. Iterumꝗ negatio, nullus homo lapis eſt, quam affirmatio conſequitur, omnis homo non lapis eſt. Rurſum, omne non triāgulum duos rectos habet: cuius ſectatrix, nullum non triangulum non duos rectos habet. Rurſus, nullus non homo grammaticus eſt, & ſectatrix, omnis non homo non grammaticus eſt. Atꝗ in totum in omnibus ſequacibus propoſitionibus ex datæ regulæ progreſſu, inoffenſam & imperplexam ſecutricum propoſitionum conſequētiam reperies. Verum in determinatis non ſolum affirmationes negationum cōſecutrices ſunt, ſed & negationes affirmationum. Atꝗ in his cōmode fit quædam uiciſſitudinaria & reciproca cōſecutio. At in indeterminatis affirmationum quidem negationes ſunt conſecutrices: negationum uero non ſemper affirmationes. Neꝗ id temere: nam propter ſubiectorū infinitatem negatiua ꝓpoſitio etiam in quopiam alio præter ſubiecti ſignificatum congruere poteſt. At in determinatis haudquaquā id fieri poteſt. Quod ſi placet, hypotheſim in propoſitionibus tractato. Hanc enim homo iuſtus eſt indefinitam propoſitionem aſſertiuam, iſta conſequitur, homo non iuſtus non eſt: non tamen hanc: homo non iuſtus non eſt, iſta ſemper conſequatur, homo iuſtus eſt. Nā belle quadrat, ut etiam in cane dicant, ut, canis homo non iuſtus non eſt. non tamen ſi canis homo non iuſtus non eſt, idem protinus canis homo iuſtus eſt.

7 *Manifeſtum eſt autem etiam quoniam in ſingularibus ſi uerum eſt interrogatum negare: quo-*
niam & affirmare uerum eſt: ut putas ne Socrates ſapiens eſt: non. Socrates igitur eſt non ſapiēs.
In uniuerſalibus uero non eſt ſimiliter uera quæ dicitur: uera autem negatio eſt: ut, putas ne omnis
homo ſapiens eſt: non: omnis igitur homo non ſapiens eſt, hoc enim falſum eſt: ſed non igitur omnis
8 *homo ſapiens eſt, uerum eſt, hæc enim oppoſita eſt, illa uero contraria. Illæ uero ſecundum infi-*
nita contra iacentes nomina & uerba (ut in eo quod eſt non homo, uel non iuſtus) quaſi negatiōes,
ſine nomine & uerbo eſſe uidebuntur: ſed non ſunt. Semper enim uel ueram uel falſam neceſſe eſt
negationem: qui uero non homo dixit, nihil magis quam qui dicit, homo, ſed etiam minus, uerus uel
9 *falſus fuit, ſi non aliquid addatur. Significat autem, eſt omnis non homo iuſtus : nulli aliarum*



idem. nec huic opposita quæ est, non est omnis non homo iustus: ea uero quæ est, omnis non iustus non homo est, illi quæ est nullus est iustus non homo, idem significat.

Et hic quidem iam ostendimus, cum quanam uera affirmatione simul ueritatē affirmabit negatio, pari cum illa quantitate prædita. Nunc autem deinceps docendum quanam simplici emētiente affirmatione, asseuerationem ex transpositione iuxta eundem terminum & quantitatē elatam, esse ueram necessum sit, ecquānam rursum impossibile. Sciendumq; in singularibus mendace simplici affirmatione, assertionem ex transpositione ueracem esse. In uniuersalibus autem ut uniuersaliter, nimirum uniuersales habentibus circūscriptiones, necesse cum simplici affirmatione, eam quæ est ex transpositione cōmentiri. Vt autem & uos ad dialecticos exerceam congressus, dialectice magis præceptum expediam, ut ne quid uobis imponatis, si forte, quod in quibusdam propositionibus particulariter consideratur, id ad omnes pertrahatis. Etenim ex prædicta iā regula, præclarum est in singularibus quidem si eum qui rogatus sit cū ueritate negare per, nō, particulam inficiatoriam licet, uerum esse ex transpositione asseuerare. uerbi causa. Quidam rogauit, Socrates ne sapiens est? dein respondisti, haudquaquā, & fac sane te uerum respondisse. Si ergo uere respondisti, simplex asseueratiua singularis propositio mendax est, Socrates sapiens est: uera est igitur ex transpositione affirmatio, Socrates non sapiens est. Iterum ad eum qui uniuersaliter affirmatione quadam simplici rogarit, Ecquid omnis homo sapiens est? uerum utique est inficiari, ac nequaquam respondere. Attamen rogationem, omnis homo sapiens est, & responsionem, nequaquam, si componas, & unam ex transpositione affirmationem conformes, omnis igitur homo non sapiens est, neutiquam uerum fuerit. Cuius causa est hæc, q in singularibus cum simplici negatione, Socrates iustus nō est, idem affirmatio ex trāspositione ualet, Socrates nō iustus est, ut paulo ante ex traditis regulis didicimus. mētiente porro simplici affirmatione, Socrates iustus est, uerax est simplex negatio, Socrates iustus nō est, sed cum hac simplici negatione, affirmatio ex trāspositione, Socrates nō iustus est, simul uerax est. Et ratiocinare, quandoquidem mentiente simplici affirmatione simplex negatio uerum enunciat: cum simplici autem negatione affirmatio ex trāspositione una uerum dicit: mentiente ergo simplici affirmatione affirmatio ex trāspositione uera est. Verum ī uniuersalibus affirmatio ex trāspositione, ut paulo ante didicimus, ut puta, omnis homo nō sapiens est, huic, nullus homo sapiens est, æquipollet. hęc uero, nullus homo sapiens est, secūdum cōtraria huic opponitur, omnis homo sapiens est: opposita autem cōtrarie cōmentiuntur. Itaque, omnis homo nō sapiens est, etiam cum hac, omnis homo sapiens est, cōmentitur. Qui enim dixit, omnis homo nō sapiens est, idem cum dicente, nullus homo sapiens est, proloquitur: ac a singulis uniuersim hominibus sapientiam abiungit: nō autem solum, ne sapientia de omnibus prædicetur, aufert: quod facit qui ait, nō omnis homo sapiens est. Igitur ī uniuersalibus haudquaquam uerum est simplici affirmatione mentiente, protinus affirmationem ex trāspositione ueram esse, ut ī singularibus: exempli causa, omnis ne homo sapiens? Minime. Siquis igitur postea dixerit, omnis igitur homo nō sapiens, mēdacium dicit. Verum quoniam huic, omnis homo sapiens est, duæ propositiones opponūtur, nempe, omnis homo nō sapiens est, huic, nullus homo sapiens est, assimilis, & ista, nō omnis homo sapiens est. Hæc sane ut contraiacens ueridica est: cum hęc, omnis homo sapiens est, mentitur. Altera autem quæ ait, omnis homo nō sapiens est, quādoquidem est isti, nullus homo sapiens est, similis, cum hac, omnis homo sapiens est, cōmentitur. Nam contraria, ut sæpenumero didicimus, ī contingēte sylua mutuo cōmentiuntur. Illæ autem secūdum infinita nomina & uerba cōtraiacentes, quæq; deinceps ī litera habētur, defecte ac pręcise ob circuncisam breuitatem dicta mihi uidētur. Neque enim quænam cōtraiacentes, neque quibus opponantur est proditum: ac dictionis quidem plenitudo sic integra sit. Illæ autem uoces, quæ secūdum infinita tum nomina, tum uerba dicūtur, & finitis simul nominibus, simul uerbis obiacent: illorum forsan uideantur negationes. quod secus est. Nō enim negatio est hominis, nō homo, nec nō ambulare ambulādi. Ac cōspicua quidem profecto ratio. quoniam propositiones ueritatem aut falsitatem dicunt nomina uero infinita & infinita quoque uerba, neque uerum neque falsum produnt. Negationē enim ueram esse necessum est aut falsam. Qui uero dixit, non homo, nihilo magis quā homo, atque adeo longe minus uerum enunciauit. Atque hic plenum pūctum nota, ac postmodum infer (uel mentitus est, nisi quidpiam adiectum sit) ceu enim argumentosior ac elaboratior interstincta mihi sententia sic est, estque confirmatio a maiori. Progressus autem huiusmodi: si fi-

nitæ uoces magis uerum aut falsum indicare quam infinitæ uidentur, quoniam illæ ponunt, hæ perimunt, nullum autem ueri aut falsi uestigium exprimunt, quãto magis etiam nullum infinitę? Ideoque non homo qui dixit, nihilo amplius atque is qui homo dixit, uerum extulit. Quid uero aio, uerum dixit? hic enim suspitio quædam subrepit, si non plene uoces infinitæ ueritatem reddunt, saltem eas nõnullam ueritatis imaginem repræsentare: idcirco mihi sermo corrigendus est, ac inducendum, uel mentitus est, nisi aliquid adiectum sit. connexe autem uerbi (mentitus est) sectio, huiusque (nisi quid adiectum sit) efferatur. Sensus porro, ex æquo uoces tum finitas tum infinitas ementiri, siue nomina siue uerba sint, nisi adiunctum fuerit nomini uerbum, uerbo nomẽ, uerum interfatione aliud interim quasi agentes, continuum amputauimus tenorem. Nos igitur ad id, quod initio proposuimus, orationem reducamus. Ecquid ergo initio propositum fuit? Anquirebamus propositionum discrimina, quæque ex infinito prædicato, ex transpositione scilicet componuntur, & quæ ex infinito itidem subiecto. Igitur de his, quæ prædicatum habent infinitum, diligenter disquisiuimus: ad hæc quænam earum secutrices, quænam obiacentes ex arte indagauimus, & pulcherrimum cõsecutionis canonem, si memores estis, tradidimus. Nunc autem paucis etiam de his quæ infinito subiecto cõstant, expẽdamus: quæ quidem aliam quoque propositionum, & oppositionum speciem, extra quam prædictæ efficiunt. Nam hæc enunciatio, omnis nõ homo iustus est, cum subiectum infinitum habeat, nulli illarum superiorum propositionum infinito cõstantium prædicato, subiecto autem finito, nec ipsa, nec illius opposita, nõ est omnis nõ homo iustus, similis est. Hæc enim huic obiacet, omnis nõ homo iustus est. Verum si i hoc quoq; propositionum genere se mutuo consequentes quæris, ne id a me sigillatim discere flagites, sed traditum ordine affectatus canonem, illinc ueritatem certo aucupare. Cæterum denuo, quo uobis gratum faciam, dicetur. Proponatur ergo propositio infinitum habens subiectum & prædicatũ, nihil enim uetat, omnis nõ iustus nõ homo: ecqua igitur hanc consequetur, Canon tibi magister erit. Serua enim ac retine quantitatem ac subiectum: cætera permuta & qualitatem, & prædicatum, ac uerissimam quæ consequatur, propositionem reperies. Quænam ea? Nempe, nullus iustus non homo.

10 *Transposita vero nomina & verba idem significant, vt est albus homo: & est homo albus.* Nã *si hoc non est, eiusdem multæ erunt negationes: sed ostensum est, quoniam vna vnius est: eius enim quæ est, est albus homo: negatio est, non est albus homo: eius autem quæ est, est homo albus, si non eadem est ei quæ est, est albus homo, erit negatio, vel ea quæ est, non est non homo albus, vel ea quæ est non est homo albus. Sed altera quidem est negatio eius quæ est, est non homo albus: altera vero eius quæ est, est albus homo, quare erunt duæ vnius. Quoniam igitur transposito nomine & verbo eadem fit affirmatio & negatio manifestum est.*

De coniunctis & diuisis enunciationibus.

11 *At vero vnum de pluribus, vel plura de vno affirmare vel negare, nisi sit vnum aliquid quod ex pluribus significatur, non est affirmatio vel negatio vna. Dico autem vnum? non si vnum nomen positum sit, non sit autem vnum aliquid ex illis, vt homo est fortasse & animal, & bipes, & mansuetum: sed ex his vnum fit, ex albo autem & homine, & ambulare, non est vnum. Quare nec si vnum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio vna: sed vox quidem vna, affirmationes vero multæ. nec si de vno ista: sed similiter plures. Si ergo dialectica interrogatio, responsionis est petitio, vel propositionis, vel alterius partis contradictionis, propositio vero contradictionis est vnius pars, non erit vna responsio ad hæc neque enim interrogatio vna, nec si sit vera. dictum est autem de his in Topicis. Simul autem manifestum est, quoniam nec hoc ipsum, quid est, dialectica interrogatio est: oportet enim datum esse ex interrogatione eligere, vtram velit contradictionis partem enunciare: sed oportet interrogantem determinare, vtrum hoc sit homo, an non hoc.*

12 *Quoniam vero hæc quidem prædicantur composita, vt vnum omne prædicatum fiat, eorum quæ extra prædicantur, alia vero non, quæ est differentia? De homine enim verum est dicere & extra animal, & extra bi-*



pes, & hæc vt vnum & hominem, & album, & hæc vt vnum, sed non si citharœdus est & bonus,
13 *etiam citharœdus bonus. Si enim, quoniam vtrumque verum esse oportet simul vtrumque, multa inconuenientia erunt. De homine enim & hominem verum est dicere & album, quare & omne: rursus si album ipsum, & omne, quare erit homo albus albus, & hoc in infinitum. Et rursus musicus albus ambulans: & hæc eadem frequenter implicita. Amplius, si Socrates, Socrates est, & homo: & Socrates, Socrates homo: & si homo & bipes, erit homo bipes.*

Ne uero putes omnem traiectionem, pronunciatorum species cõmutare, uerum eam dũtaxat, quæ ex traiectione proprie fertur, euariantem a simplicibus habere proprietatem. Alioqui nomina & uerba traiecta, ut, est albus homo, &, est homo albus, idem rursus designant. nisi enim hoc sit, eiusdem sane affirmationis protinus duas esse negationes cõtinget. Sed unde nam perspicuum, ut ex eo q diuersæ sint propositiones, cuius ratio subiecta est, eiusdem affirmationis duæ sint negationes? Nempe quoniam alia est propositio affirmatiua, quæ ait, est albus homo, quam sit hæc, est homo albus: diuersæ quoque earum emergent negationes, cum præsertim cuique sit affirmationi sua negatio. Huiusce ergo affirmationis, est albus homo, negatio, nõ est albus homo, redditur. At uero huius, est homo albus, alia quæpiam est item negatio. Ergo uel hanc, nõ est homo albus, eius esse negationem asseres, uel adeo hanc, nõ est nõ homo albus. Atqui hæc, nõ est nõ homo albus, huiusce, est non homo albus, affirmationis est negatio. Necesse ergo huius affirmationis, est homo albus, hanc esse negationem, nõ est homo albus. Cæterum hæc, nõ est homo albus, etiam illius affirmationis, est albus homo, negatio est. Ex quo efficietur huiusce affirmationis, est albus homo, duas esse negationes, puta, nõ est albus homo, &, nõ est homo albus. Quocirca duæ erunt unius. Sciendum porro propositionum terminos, subiectum, inquam, & prædicatum, aut ambos, uoce iuxta & sensu simplices esse, ut, homo animal est: Aut e diuerso, ambos & dictione & sensu esse compositos, ut, Socrates & Plato ambulant, & disputant: Aut altero esse simplices, altero compositos, ut, homo mouetur: Aut utrisque terminis compositos, ut, Aiax mouetur: Aut subiecto compositos, prædicato uero simplices, ut, Aiax homo est: Aut prædicato quidem compositos, subiecto uero simplices, ut, homo mouetur: Aut utrisque terminis compositos, ut, Aiax mouetur. Quoniam igitur de affirmatione una & negatione sermo impræsentiarum nobis est, haudquaquam una affirmatio fuerit, quæ uel unum de multis, uel multa de uno, dicat. Nisi forte multa illa ĩ unum coalescentia unam subire prædicationem possint: ueluti si dicam, homo animal, rationale, mortale est. En multa hominis prædicata: sed quoniam mutuo inter se misceri possunt, unam quoque totam prædicationem reddunt, & propositionem unam. Sin autem sic dicam, homo albus, ambulans, musicus est: quoniam hæc mutuo inter se coalescere nequeunt, haud equidem unam dixi propositionem, sed totidem, quot numero prædicata. (Dico autem unum, non si unum nomen positum sit, non autem sit unum quidpiam ex illis, ut, homo forte est & animal, & bibes, & mansuetum, uerum unum quidpiam ex illis fit) propterea quod essentiales sunt prædicationes. forte autem, propter mãsueti adiectionem adiunxi. Nam Plato repugnat, ac mansuetum de homine nequaquam substantialiter prædicari urget. Nec uero ut ex his una surgit prædicatio, sic & ex albo, homine, ambulante: quoniam illa quidem, q essentialia essent, ĩ unam agnascebãtur prædicationem: hæc autem, quod accidẽtia sint, & sub alia reducãtur genera, incoibilia & incõgressibilia mutuo sunt. Itaque nec si quis unum quiddam de hisce prædicet, ut, albus, musicus, ambulans, homo est: nec item si de uno hæc dicat, ut, homo albus, ambulans, musicus est, una est affirmatio. Quoniam uero antiqui duplicem interrogationis speciem aiunt, alteramque Dialecticæ assignant, alteram Sciscitatiuæ: ac Dialecticam esse tradunt, cui uel certe, uel nequaquam, respondere licet. huic enim rogationi, Animane est immortalis? ad responsionem, certe, uel, nequaquam, satis est. Sciscitatiuam autem rogationem esse uolunt, ad cuius respõsum, nec certe, nec minime, locum habeat: sed sit interrogato opus ad responsionem oratione pleniori, ut, Cur non perpendiculariter ad uerticem solis est cardo? Quamobrem ferrum Magnes attrahit? & huiusmodi. Si igitur hæc ita sese habent, & Dialectica interrogatio responsionis est petitio, nõ cuiuslibet tamen, sed propositionis, hoc est huius partis contradictionis, quæ actu a rogãte pronunciata est, & interrogato proposita: quod fit, ut dicebamus, cum qui interrogatur, certe respõdet, aut alteri cõtradictionis parti annuit: aut enim ad propositam interrogationem, aut ad eam haudquaquam, sed ad alteram con-

tradictionis

tradictionis partem respondetur. quod silentio quidem suppressum est, quanquam autem nō adpositum, potentia tamen comprehensum est. Si ergo ad Dialecticam interrogationem respondendum est, haudquaquam fit responsio una, cum rogator aut unum de multis, aut multa de uno proponit. Si quis enim roget, an homo albus, ambulans, musicus est? Respōdeat autem quispiam aut certe, aut minime: haudquaquam unica fit respōsio, cum nec una rogatio. Quod si quis obiiciat, Quid si, o Philosophe, Socratem album esse & musicum accidat, & facta demum propositione rogem, Socrates ne albus musicus est? est ne ad hæc quidem unica respōsio satis, cum prǽsertim qui respondit uerum enunciarit? Equidem illud dicam, quanquam uera sit responsio, tamē quoniam hæc inter se mutuo cohærescere nequeant, responsor multa nō unum etiam tum reddidit. Inde uero corollarium nobis comparatum esto, hoc ipsum quid est, interrogationem dialecticam non esse. Qui enim dialectice rogat, ad rogatum, auditorem astringit, neque alio quoquam libere euagari permittit, quam ut hoc uel illud respondeat. Rogatorem enim necesse, hoc ne sit homo, an non hoc, definire. Quoniam autem a nobis simpliciter, & quasi inarticulate superius dictum est, prædicatorum nōnulla, ī unum quasi corpus coalescere posse, quædā nequaquam: nunc hic regulis subiicere & includere necessum est, quænam prædicata de eodem subiecto plura, tum nomina, tum negocia, etiam inter sese componi & cohærentia demum unum ex seipsis reddere prædicamentum possint: quænam contra, haudquaquam. Quædam enim ex his quæ seorsus prædicantur, possunt etiam composita prædicari, ut unum omne prædicatum fiat: ut de homine, sigillatim animal prædicari, sigillatim rationabile, sigillatim mortale, possunt: sed & hæc simul uniuersa, ut unum prædicatum sunt, ut homo animal rationale mortale est. Rursum de homine, & animal, & album, & ambulans, seorsum singula dicūtur, sed nequaquam etiam coniuncta, & de eodem iunctim prædicata unam edunt propositionem. Nec enim quæcunque simpliciter nimirum seiuncte de quopiam dicuntur, eadem etiam protinus cōnexe: alioqui absurda pleraq; euenirent. Sed uin aliquo ī exemplo quod dicimus experiamur? iam nobis ponatur uir quidem nomine Simon, qui sit idem sutor, neque tamen summum eius artis teneat: sit uero etiam moribus probis & modestis: de hoc ergo Simone sutoriæ non peritissimo, sed uita probissimo, seorsum sutorem, seorsum etiam bonum prædicabis, ac utrobique uerax eris. Quod si complexe dicas, Simon sutor bonus, ementitus es: intellecto nempe bono, ī sutorio opificio, cum ex confesso nō bonus sutor fuerit. Si enim ꝙ utrumque de eo dictum uerum esse uidetur, idcirco utrumque etiam coniuncte uerum dicere existimabis, multa & absurda consequentur. Nam de albo homine etiam hominem & albū uere prædicabis. Itaque iuxta te etiam omnia. uerbi gratia hoc ipsum quod uidetur, homo albus est. Quoniam igitur duo prædicata hominem & album cōnexuisti, & unam ex duobus prædicationem effecisti, aliud autem quiddam est album per seipsum quam homo albus: denuo de homine album ceu ab altera sit propositione poteris enunciare. Esto igitur de homine, illic quidem, albus homo, cōnexe prædicatum, hic priuatim album & per se ipsum. Quid ergo accidit? superuacaneum quoddam negotium & animo inenodabile. ut hoc quod uidetur, homo albus albus est, idque in infinitum. Poteris etenim deinceps album de homine enunciare. Rursum, homo musicus, albus, ambulans, & priuatim deinde prædicans musicum, & priuatim album ac priuatim ambulans, dicas, homo musicus musicus, albus albus, ambulans ambulans. Sæpenumero uero etiam conserte & alternatim, ut, homo musicus, albus musicus, ambulans albus, albus ambulans. Amplius, si Socrates, Socrates est, & homo, etiam Socrates homo: & si homo, & bipes, etiam homo bipes: hoc autem præter inexplicabilem perplexitatem, superuacuum quoque. Nam de Socrate seorsum & inculpate tum Socrates, tum homo prædicabuntur. Itidem & de homine tum homo, tum bipes: haud tamen simul recte prædicabuntur. Non enim qui Socratem, hominem Socratem, dixit, extra lapsum est: nec qui hominem hominem bipedem, extra culpam. Quamobrem? quoniam superuacue prædicauit, idem potentia sæpius iterans. Qui enim dixit, Socrates, in Socratis nomine comprehensum etiam hominem concepit: & qui homo dixit, etiam bipes protinus una inuexit. Nam & Socrates homo, & homo bipes est.

Quoniam igitur si quis simpliciter dicat complexiones fieri, multa accidit dicere inconuenientia, manifestum est. Quemadmodum autem ponendum est, nunc dicimus. Eorum igitur quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcunque secundum accidens dicuntur, vel eodem vel alterum de altero, hæc non erunt vnum, vt homo albus est, & musicus: sed non est vnum album &



musicum,accidentia enim sunt vtraque eidem. Nec *si album,musicum verum est dicere:tamen non*
erit album musicum vnum aliquid:secundum accidens enim album musicum: quare non erit album
musicum vnum aliquid,quocirca nec citharœdus bonus simpliciter.sed animal bipes,non enim secun
15 *dum accidens.* Amplius. Nec *quæcunque insunt in altero:quare neque album frequenter,neque*
16 *homo,homo animal est vel bipes,insunt enim in homine animal & bipes.* V*erum est autem dicere*
de aliquo & simpliciter:vt aliquem hominem hominem, aut aliquem album hominem,hominem al-
17 *bum,non autem semper. Sed quando in adiecto quidem aliquid oppositorum inest,quod consequi-*
tur contradictio,non verum sed falsum est,vt hominem mortuum, hominem dicere. Q*uando au-*
18 *tem non inest,verum.* An *etiam quando inest,semper non verum est:quando vero non inest:non*
semper verum est?vt Homerus *est aliquid,vt poeta : ne ergo est, an non?secundum accidens enim*
prædicatur est,de Homero *(quoniam enim est poeta) sed non secundum se prædicatur de* Homero
19 *ipsum est. Quare in quibuscunque prædicationibus neque contrarietas in est, si definitiones pro*
nominibus dicantur : & secundum se prædicantur, & non secundum accidens, & in his aliquid &
*simpliciter verum erit dicere.*Q*uod autem non est,quoniam opinabile est,non est uerum dicere esse*
aliquid:opinio enim eius est,non quoniam est,sed quoniam non est.

Quod igitur siquis simpliciter & indistincte, citra quæ ue dialecticæ canonem , complexiones fieri asserat,multa dicere absurda contingat,manifestum. Quo autem modo hæ sint ponendæ,in præsentia nobis dicendum. Eorum sane quæ prædicantur, & in quibus prædicari accidit idest subiectorum,in quibus & de quibus prædicata dicuntur: horum utique prędicatorum quęcunque secundum accidens de subiectis dicuntur,aut ambo prędicata de eodem subiecto,ut si de homine, album & musicum,nõ subalterno ordine, sed ĩ altero & altero crure de eodem prædicarẽtur:aut si prædicatorum alterum de eorum uno, quæ de subiecto prædicãtur secũdum accidens dicitur: idque ipsum rursus de subiecto itidem secũdum accidens, ut si musicum de albo diceretur,ac deinde album de homine.Quæcunque ergo ĩ hunc modum prædicãtur,ea neutiquam unũ erunt, hoc est nõ possunt & disiuncte & cõnexe prędicari. Non enim unum,album & musicũ,quoniam utraque eidem acciderunt. Sed & si quis etiam musicum reuera de albo prædicari ponat,ne tum quidem musicũ albũ erit unum.Idcirco nec sutor simpliciter bonus,quoniam sit per accidens bonum de sutore dictum.Verum si quis citra periculi lubricum dicere uelit,ipsum enunciet animal bipes,cum præsertim hæc non per accidens,sed essentialiter de sutore dicantur:quanquam ne ista quidem substantialia utcunque sumi oportet.Non enim quæ in altera prædicatione uel actu uel potentia concepta fuerunt,eadem rursum adsciscemus. Actu quidem,ut si hominem esse animal bipes dixerimus,iterum bipes per se non assumemus,ut,est homo bipes. hoc siquidem elocuti,in priore uersaremur prædicatione.Potẽtia autem,ut si Socratem esse hominem diximus,Socratem esse animal non iterabimus,quadamtenus enim cum eum hominem esse pronunciauimus,etiam animal confessi sumus. Sed quoniam membratim distinximus, ecquando sigillatim prædicata etiam simul prædicari possent:nunc uicissim quæramus,ecquando complexe prædicata, seiuncte ac seorsum prędicari possint.Verum est autem dicere de aliquo & simpliciter, hoc est de quo compositam prędicationem conficimus (quam quidem compositam nuncupaui ob particularitatem, omnis etenim cõpositio particularis) de eodẽ etiam absque adiunctione prędicatũ ueraciter enunciamus:ut exẽpli gratia,grãmaticus ponatur Aristarchus : hunc igitur & coniuncte grãmaticum Aristarchũ dixerim,& uicissim sequestrate, Aristarchũ,deinde grãmaticũ:& utrũque inculpate gero.Non tamen semper ita res habet.Estque orationi omnino opus amussi.Duos uero canones uobis afferemus:alterũ simpliciorem , nec usquequaque inculpabilem:alterũ amussitatum & certum. Quis ergo simplicior? Cõpositam perpende prædicationẽ, ac siquã ĩ adiecto nomine inesse contradictionem cum altero prædicato deprehenderis,tunc iuncte prædicata simpliciter prædicare non poteris:Sin contradictionẽ reperies nullam,tunc de eodẽ ista etiam singulatim prædicabis.Quod autẽ dico,est huiusmodi. Proponitur homo mortuus,duo igitur de illo prędicamenta feruntur, homo scilicet,& mortuus. uerum duo ista nomina coniuncte de subiecto homine mortuo prædicare tuto ac secure possis,non tamen etiam singulatim.Qui enim hominẽ mortuum,hominem seiuncte dixit,præter dialecticã regulam profatus est.Quamobrem? Quoniam in adiuncto nomine

scilicet mortuo (Nam adiacet homini) quędam cũ homine delitescit contradictio: quã nullatenus ex nominibus ipsis conspicias, sed ex finitionibus assequare. Si enim hominem finias, substantiam animatam, sensibilem dicas: sin mortuum, substantiam inanimatam, insensibilem. Quoniam ergo in adiuncto cum altero nomine contradictio est, ideo simul prædicata, sigillatim nõ prædicantur. Hic igitur canon plenus & integer est, & multo simplicissimus. En autem alter exactus, Etsi i adiuncto quidem nomine contradictio nõ reperitur, nõ tamen semper de eodem quædam etiam prędicari simpliciter uerum est, id est, nõ necessario uere sese habet. Ne uero dixeris: i quibus nõ reperiatur contradictio, ea etiam seiuncte prædicari. Nõ enim semper hoc uerũ, sed interim uerũ, interim secus: alioqui tibi quoq; exẽplum adferemus, i quo nominũ cõtradictioné nusquã reperias, nõ tamen simul prædicata de subiecto separate quoq; prædicare possis. Exẽplum, Homerus poeta est. Ecce de Homero duo prædicaméta ferũtur, poeta, atq; est. nec i uerbo, est, quod poetæ adiacet, quæpiam cũ poeta cõtentio uel a nominibus, uel a finitionibus manat: nõ tamẽ de Homero, est, seiuncte prædicatur: qui enim dicit, Homerus est, mentitur. Nam, est, citra medietatem de Homero dictum, non ut ad poetam Homerum, sed ut ad uirum comparatum auditur: hic autem non est, Cum uero de Homero complexe una cum poeta uerbum est prædicatur, tunc poeta præcipue & per se prædicabitur. Per se aio, nõ quia iuxta substantiam, sed quia iuxta naturam. At uero, est, de poeta quidé per se, de Homero ex accidenti. Sed quatinus duo sunt hic prædicamenta de uno elata subiecto, est, inquã, & poeta de Homero, est auté de poeta per se, & Homero ex accidenti enũciatur, interiectum abiice nomen τὸ poeta, ac tum uerbum, est reliquum, de Homero ex accidenti dicitur. Itaq; recte dicebamus, nõ semper uerum esse, etiam si nulla simul prædicatis insit contentio, unumquodq; per se prædicari posse. Quocirca secũdus Canon certissimã & incontrouersam prædicationem definit, dicens, Cum neq; cõtrarietas prædicamentis inest nec ex accidenti, sed per se de eodem subiecto prædicantur: tum demũ licere cõplexe prædicatũ etiam citra cõplexionem prædicari. Sed quid ad hanc propositioné dicamus, ut puta, quod nõ est, opinabile est? hic enim nec contrarietas finitionibus inest. Siquidem cum uerbo, est, opinabile nihil repugnat, nec adeo ex accidenti, est, de eo quod nõ est, prædicatur: nõ tamen possunt cõnexa, etiam priuatim prędicari. Nã quod nõ est, dixeris quoq; opinabile: est, uero solum nunquã dixeris. Quinam enim quod nõ est, sit? Nã uerbum, est, rerum quæ sunt existentiam, ut ita dixerim, & inexistentiam notat, ut, Homerus poeta est. Quod autem nõ est cum opinabile sit, ecquo tandem modo cum nõ sit, esse possit? Quid ergo? subuertetur Canon? Minime gentium. Verum aliud quidpiam hic intelligitur. Qui enim dixit, quod nõ est, opinabile est, quod nõ est, quasi quiddam sit non ponit, sed quod nõ sit. Nam ideo quia in opinione est, non continuo etiam his quæ sunt adnumeratur. Quoniam opinio, & de eo quod est & quod nõ est, fertur. Nam & quispiam quod est opinatur, ut, animã, menté, deũ: omnia deniq; quæ proprie ac simpliciter sunt, opinatur: & quod non est, ut, Sphingem, formicoleonem. Verum illa quidé quasi sint, opinatur: hæc autem quasi nõ sint. Nam eius quod nõ est, nequaquã opinio sit, quasi sit, sed quasi nõ sit. Quæ si ita habent, quomodo, est, de eo quod non est, dicetur? Opinabile siquidé est, simpliciter uero nõ est. Sciendum auté Platonem i Sophista, permultos eius quod nõ est ordines prodidisse. Atq; unus quidem eius est intellectus, id quod res quæ sunt exuperat. idem dixeris si quod supra omné speciem est, appellaris: alter, quod formis uiduatum: quæ est informis illa materia, quę disparem quoq; sortitur cum eo quod supra entia est similitudinem. Consimilis nanq; est illi formarum absentia, dissimilis absentiæ modo. Nam materia & formis caret, & eis deterior est. illud eis & superstat & præstantius est. Tertius intellectus, quod nullatenus est: in tertio igitur intellectu quod nõ est, Aristoteles accepit. ac finem quidem pariter cũ illo etiam nobis tertius de interpretatione commentarius attigit. Sunt & alia duo non entis significata. non ens enim dicitur præterea & omne sensibile, & priuatio. Aliter uerbis Ammonii Philosophi, ab hinc (uerum autem est dicere de aliquo & simpliciter.) In hisce, inquit, contrarium præceptum ei quod paulo ante traditum est, quæritur. Antea etenim quærebatur ecquando sigillatim prædicata etiam connexe dici possent: hic contra, ecquando simul prædicata sequestrate quoque dici possint. Appellat uero aliquam prædicationem compositam, ex simul prædicatis iunctam. Simpliciter uero, simplicem, & quæ citra adiectionem de aliquo dicitur. Quoniam adiectiones ubique coarctant, & sensa, quę adiectionem sustinent, particulariora reddunt: ut si pronunciato animali adiecerimus rationabile, deinde mortale, postmodum grammaticum, postea aliud quidpiam, atque aliud, manifestum ex singulis additamentis particularius significatum nos inuenturos. Quocir-



ca, inquit (uerum autem est dicere de aliquo & simpliciter) hoc est de quo compositum prædicamentum conficimus, de eodem etiam citra adiectionem prædicatum dicere uerum est. ut, Aristarchum nõ solum hominem grãmaticum, sed etiam simpliciter hominem, & simpliciter grãmaticum. Et Gallum, nõ solum albũ hominẽ, uerũ etiam simpliciter albũ, & simpliciter hominẽ. Verumenimuero nõ semper ita res habet (siquidem hominẽ mortuũ sic integre hominẽ mortuum dicimus, haudquaquã tamen citra adiectionẽ hominẽ dicere ualemus. nam homo animal rationabile, mortale: animal autẽ, substantia animata, sensibilis: at mortuus nec animatus nec sensibilis: sed contra. adhæc adulterinam drachmam, & lapideam nauẽ, sic integre utrumq; dices, nõ tamen simpliciter drachmã, nec itẽ nauẽ) manifestũ hic quoq; certa aliqua opus futurũ distinctione, quę doceat quãdo fieri potest, quãdo nõ, ut simul prædicata discrete dicãtur. Hunc igitur Canonẽ pleniorẽ prius Aristoteles tradit, sed posterius exactiorẽ: principio dicens, Cum ei quod simplici prædicationi additũ est, aliqua inest oppositio, cũ eo ipso cui adiacet, aut ĩ ipsis ibidẽ eorũ nominibus cõspicua: ut si eunuchũ uirũ simul & nõ uirũ dicamus, uespertilionẽ auem simul nec auem, pumicẽ lapidẽ & nõ lapidẽ, iudicẽ magistratũ nec magistratũ: aut ĩ ipsorũ finitionibus cõprehensa, quemadmodũ ĩ homine & mortuo: tunc nõ posse quę simul prædicata fuerunt, etiam discreta prædicari: cũ autẽ nulla ipsis inuicẽ inest oppositio, tunc demũ posse. Posterius uero dictã regulam, quæ docet, quandonã disiungi nõ possibile simul prædicata, recte proditã pronuncians: ex his quæ ait: an cũ quidẽ inest, semper nõ uerũ, nobis utique subnotare debentibus ĩ uerbo inest, oppositio scilicet quæ adiectioni cũ eo quod initio prędicabatur, inest (hoc enim iam dictũ etiam hic subaudiamus) ut autẽ eius consequens infert semper, id est, ex necessitate nõ uerũ sed mendacium cõpositam prædicationẽ disiungi. Alterã autẽ quæ ait, si nõ sit oppositio, ĩ simul prædicatis eorũ discretionẽ locũ habere nõ semper uer acẽ affirmans, sed alia quapiam egere circũscriptione, argumentũ statim subiungens. Nã Homerũ sic integre esse poetã dicimus, quoniã eius extat poesis: simpliciter uero esse, nunquã dicimus, quoniam uerbũ, est, de Homero citra interiectũ enunciatũ, non ut ad poetã Homerũ, sed ad ipsum uirum auditur relatum, hic uero nõ est: at cũ poetæ coniunctũ, est, de Homero prædicatur, poeta sane præcipue & per se de eo dicetur. Per se quidem aio, nõ quod iuxta substantiam, sed quod iuxta naturã. At uerbũ, est, de poeta per se, de Homero per accidens. Emoto igitur eo quod per se dicebatur, quod ex accidenti prædicatur, nihil iam ueri effatur. Quanquã nullã reperias contentionẽ poetæ cũ uerbo, est, nec ibidẽ in nominibus, ut ĩ hoc, uir nõ uir: neque ĩ ipsorũ finitionibus, ut in illo, homo mortuus. Itaque recte dicebamus, nõ semper uerũ esse, etiamsi simul prædicatis oppositio nõ inest, per se unumquodque prædicari posse. Quocirca Aristoteles principio a superioribus petito disiunctæ prædicationis regulas adscribit, dicens, Cũ neque contrarietas simul prædicatorũ finitionibus subest, nec per accidens, sed per se, de eodem subiecto prædicãtur: tunc deniq; licere cõplexe prædicatũ etiam absque adiectione omnino prædicari. Manifestũ autẽ, si quis, est, in hac enunciatione, Homerus poeta est, pro erat sumptum esse dicat: quemadmodum erat, pro, est, antiqui sæpenumero usurpant, ut hic, quid erat, pro, quid est: & ĩ finitione, quid erat esse, pro, quæ est rei essentia: etiam ipsum est per se de Homero, contra quam Aristoteli uisum sit, prædicatum iri. In dictione porro hoc ipsum cũ oppositorũ aliquid inest, quę consequitur contradictio, dictum est, non quasi aliqua, consequatur opposita, contradictio, aliqua uero minime: sed quod omnia, contradictoria inuicem oppositio ceu maxime cõmunis cõsequitur: neutrum enim oppositorum est quod alterum.

De enunciationibus Modorum, *Poßibilis*, *Contingentis*, *Impoßibilis & Neceßarij.*

SECTIO IIII.

20 *His uero determinatis perspiciendum est, quemadmodum sese habent negationes & affirmationes ad se inuicem: eæ scilicet quæ sunt de poßibili esse, & non poßibili, & de contingenti & non contingenti, & de impoßibili & neceßario. Habent enim aliquas dubitationes: nam si eorum quæ complectuntur, illæ sunt sibi inuicem oppositæ*

contradictiones, quæ cunque ſecundum eſſe & non eſſe diſponuntur, ut eius quæ eſt eſſe hominem, negatio eſt, non eſſe hominem, non ea quæ eſt eſſe non hominem: & eius quæ eſt eſſe album hominem, ea quæ eſt, non eſſe album hominem, ſed non ea quę eſt eſſe non album hominem. ſi enim de omni aut aff.rmatio, aut negatio eſt: lignum erit uerum dicere eſſe non album hominem: quod ſi hoc modo & in quibuſcunque eſſe non additur, idem faciet quod pro eſſe dicitur. ut eius quæ eſt homo ambulat: non hæc, ambulat non homo, negatio erit. ſed hæc non ambulat homo, nihil enim differt dicere hominem ambulare, uel hominem ambulantem eſſe, quare ſi hoc modo ubique, & eius quæ eſt poſſibile eſſe, negatio erit poſſibile non eſſe, ſed non ea quæ eſt non poſſibile eſſe. Videtur autem idem poſſe & eſſe & non eſſe. omne enim quod eſt poſſibile diuidi uel ambulare: et non ambulare, et non diuidi poſſibile eſt. Ratio autem eſt, quoniam omne quod ſic poſſibile eſt: non ſemper in actu eſt, quare inerit ipſi etiam negatio. poteſt igitur et non ambulare quod eſt ambulabile, et non uideri quod eſt uiſibile, at uero impoſſibile eſt de eodem oppoſitas ueras eſſe enunciationes.

HIs uero definitis, tum paulo ante ſcilicet diſtinctis enucleate enũciationibus, his, inquam, quæ tertio inſuper prædicato cõſtant: tum etiam longe ante propoſitionibus quæ ſubiecto & prędicato ſolis continentur, explanatis, necnon his iuſtam intelligentiam ac pertractationem adeptis, denique circunſcriptionum ac regularum certiſſimæ fidei ſubiectis: iam deinceps de propoſitionibus cum modo æſtimandum, demoſtrandumque, quo etiam pacto propoſitiones modis prędítæ erga ſeipſæ mutuo habeant, hoc eſt, quomodo ex affirmationibus fiant negationes, an inficiatrice particula, non, uel cum ſubiecto uel prædicato, uel adeo tertio inſuper prædicato coniugata, uel cum ſolo etiam modo. Et quod non alias quam cum his quæ recenſui mihi philoſopho placeat eam componi, uel indidem ex his quæ dixi quiſpiam coniectet. Cum enim ipſe dixi poſſibile eſſe, & non poſſibile eſſe, contingens, & non contingens: tacitus modo negationem applicari mihi placere oſtendi. Nec uero mirandum, ſi id ipſum ĩ impoſſibili & neceſſario prætermiſi. Siquidẽ mihi philoſopho præſertim multiloquo eſſe nõ licet, nec uero numeroſis eſt idem exemplis monſtrandum, cum liceat uno. Quoniam autem de modis ſermo nobis impræſentiarum eſt, ipſum quoq; modum, cuiuſmodi ſit, declarare oportet. Eſt igitur modus, uox indicans quo pacto prædicatum ſubiecto ineſt. Si enim quiſpiam dicat, Luna obito circulo celeriter inſtauratur, inſtaurationis, ſic ἀποκατάστασιν interpreter, modum extulit. Item hic, Socrates pulchre diſputat, ſermocinationis modus inſinuatur. Cæterũ modorum incõpræhenſibilis nõ eſt numerus, difficilis tamẽ cõplexu. Illud, inquam, naturæ; hoc uero, nobis. Multi porro cũ re uera ſint, quatuor duntaxat adſciſcemus, Poſſibilem, Contingentem, Neceſſarium, Impoſſibilem. Ecquid autem diſcriminis uult poſſibili cum contingenti intercedere: ac quod poſſibile quidem proprie dictum, nihil omnino niſi ſola appellatione a contingenti diſcrepat: ſimpliciter uero proprie contigenti latius, patet ex ſequentibus accurate diſcemus. Nunc quod preſſius urget dicamus, Quonam modi a materia differant. Hoc ergo different, quod Materia elocutione nõ enunciatur, ſed illic ĩ propoſitionibus ſublucet: modi autem ĩ ipſis actu propoſitionibus ſiti ſunt. At poſtquam id didicimus, etiam illud ſciſcitemur & anquiramus, An alius etiam quiſpiam, extra iam numeratos, modus alibi ſit dictus hic prætermiſſus, an minime? Quem mei ſane interpretes, De ineſſe, ut ita dicam, uocitarunt. Nec uero mirari ſubeat, ſi eos qui olim multis poſtea ſeculis cõmentationes noſtras interpretaturi ſunt, quaſi nunc iam interpretationem ediderint, ĩ ſermonem corã aduocemus. Aſtronomiæ enim, ut ſi quis alius conſultus, futurum ut præteritum præſagio animi ſcio. Erunt autem, ſat ſcio, cum permulti alii, tum uero Ammonius quidam, maxime, ut ſi quis alius, eximius, eiuſque ſucceſſor Ioannes Philoponus: quorum Ammonius quidem, ineſſe modum nõ appellitabit, ſed propoſitionum modo carentium ſpecificam appellationem: Philoponus uero modis adnumerabit, ac contingentis partem euẽtum ponet. Cui quidam e multis Philoſophos poſt eos natus prona ſubſcribet aſſenſione, quẽ etiam facile philoſophorũ principem rex quidã ſummus ſtudiorum amator conſtituet. Cæterũ oppoſitio ĩ modorũ propoſitionibus facta, haudquaquã ſimplex eſt. Nonnullas etenim perplexitates habet. Nam quis ſermonẽ forte præuertens obiiciat, has inter ſeſe opponi contradictiones, quæcunque ſecundum eſſe aut nõ eſſe digerãtur: quod equidem ob breuiloquium defectiuſcule pronunciaui: ac ſi quis ſupplementum ſufficere uelit, ſic profecto dicat, Si enim cõplexarum inuicem

uocum & propositionum, illæ inter sese ad contradictionem efficiendam opponuntur: quę secundum esse & non esse contradictionem habent, hoc est, i quibus prærogatiuam tertium quod insuper prædicatur obtinet: etiam i modalibus cõtinuo propositionibus hoc ipsum ita habere necesse erit. Totus nanque intellectus huiusmodi est, si in reliquis propositionibus, quibus, est, uel potentia uel actu inest: hoc ipsum, non, adiunctum conradictionem molitur: Itidem i propositionibus quoque modum habentibus idem fieri congruit: uerum sermonis ab aduersariis intenti cõgressus huiusmodi est. Quem tamen nõ hocce pacto enunciaui, sed prolixa mihi ante redditionem interfatio protracta est. Nam decebat, ut antequam redditionem referrem, firmam efficerem dubitationem, ut firmiorem cõtra solutionem inducerem. Si igitur, ut denuo intellectum repetamus, complexarum, hoc est coalescentium & coniunctarum propositionum ad contradictionis genituram, illæ quæcunque secundum esse & non esse dirimuntur contendunt: nanque, huius esse hominem, si futura contradictio sit, negatio est, non esse hominem: non autem esse non hominem. huiusque item, esse album hominem, rursus negatio, non esse album hominem: minime uero, esse non album hominem. Sic enim dicimus, homo est, homo non est: homo albus est, homo albus non est. Nisi nanque uerbo, est, negationem, non, adplicuerimus, sed alteri cuipiam, imprudentes contradictionis dignitatem demoliemur. addatur enim, ut uis, particula, non, albo, non uerbo, est: dicaturque, homo albus est, homo non albus est. Atqui in omni contradictione propositionum altera mentitur, altera uerax est. de omni siquidem, affirmatio aut negatio uera est: Ergo de subiecto ligno dicatur, lignum albus homo est. Atqui mendax hæc propositio: ueram igitur esse negationem oportebit, ac profecto ea quam ais reducenda. lignum homo non albus est. At uero etiam hæc falsa, quod ex traductione fit affirmatio, nedum negatio. Sin autem, non, uerbo, est, adieceris, ueram negationem edes, ut, lignum homo albus non est. Quod si hoc ita se habet, id est, in propositionibus, est, actu habentibus: etiam in quibus, esse, non additur, idem fiet quod etiam factum esset, si, est, adhæsisset. Verbi causa, huius, homo ambulat, negatio est, homo non ambulat. Nam in uerbo ambulare, est, potentia includitur. Siquidem resoluitur, in ambulans est. Ac nihil omnino interest si dicas, hominem ambulare, aut, hominem ambulantem esse. Sed iterato reuocandus est intellectus. Quare si hoc modo ubique, & i omnibus propositionibus, inficiatoria particula, non, tertio insuper prædicato adiicitur, negatio huius, possibile esse, fuerit, possibile non esse: minime autem, non possibile esse. Atque aduersariorum quidem oratio huiusmodi ex hypophora nobis obiecta est, & quoad eius fieri potuit, firmissima circunductione contorta. Nos uero par est illis occurrere, & apparentem ratiocinationis similitudinem, philosophorum more, dissoluere. Vndenam ergo auspicandum & aggrediendum? nimirum a contradictionis dignitate. Nam si, ut ratiocinantes uolunt, non modo sed uerbo, est, negationem destinabimus, in eodem affirmationem & negationem simul ueraces esse, & e diuerso continget. Quod si in possibili & impossibili solutionem experiamur, sermonis ueritatem assequemur. Videtur enim re uera, id est, opinio uera est, idem posse esse, & nõ esse. hoc est, in possibili materia, quæ paris est cum contingente facultatis, de eodem negatio & affirmatio uerax est: quia idem esse, & non esse potest. quod enim potest, scilicet contingit secari, etiam non secari potest: tum quod potest uideri, illud idem etiam non uideri potest. Si quidem possibile hic paris cum contingẽte facultatis sumas. protinus etiam ratio manifesta. Nã omne quod sic possibile est, assimile scilicet contingenti, non semper actũ adipiscitur: non enim alias esset contingens. Nam neque qui legit, semper legit: neque qui lauat, semper lauat: sed alternis, lotione ac illuuie, lectione ac lectionis requiete, utitur. Quare tum affirmator tum inficiator in contingente uterque uerum dicit: alter, in quibus contingens actu est: alter, in quibus non actu. Hæc autem euenient, si uerbo, est, nõ etiam modo negationem adponamus: sin ad modum, non, adiungemus, ipsam modi qualitatem amoliemur, & rationi conuenienter negationem efficiemus.

11 *Non igitur eius quæ possibile est esse, negatio est hæc, possibile est non esse. Contingit enim ex his: aut idem affirmare & negare simul de eodem, aut non secundum esse vel non esse, quæ apponuntur, fieri affirmationes & negationes: si ergo illud impossibile est, hoc erit magis eligendum, est igitur negatio eius quæ est, possibile esse, ea quæ est, non possibile esse sed non ea quæ est, possibile non esse. eadem quoque ratio est, & in eo quod est, contingens esse: etenim negatio eius est, non contingens esse, & in alijs quoque simili modo: vt in necessario, & impossibili. Fiant enim quemadmodum*

in illis esse, & non esse appositiones: subiectæ vero res, hoc quidem album, illud vero homo, eodem quoque modo hoc in loco esse quidem & non esse, vt subiectum fit: posse vero & contingere appositiones determinantes (quemadmodum in illis esse & non esse) veritatem & falsitatem. similiter hæ, in eo quod est, esse possibile, & esse non possibile: eius vero quæ est, possibile est non esse, negatio est, non ea quæ est, non possibile est esse, sed ea quæ est, non possibile est non esse: & eius quæ est possibile est esse, non ea quæ est, possibile est non esse, sed ea quæ est, non possibile est esse: quare & sequi sese inuicem uidebuntur, possibile est esse, & possibile est non esse: idem enim possibile est esse & non esse. non enim contradictiones sunt sibi inuicem huiusmodi, possibile est esse, & possibile est non esse, sed possibile est esse, & non possibile est esse, nunquam simul in eodem ueræ sunt: opponuntur enim. neque ea quæ est, possibile non esse, & non possibile non esse. unquam simul in eodem ueræ sunt. similiter autem & eius quæ est, necessarium est esse, negatio non est ea quę est, necessarium non esse: sed ea quæ est, non necessarium est esse. eius uero quæ est, necessarium est non esse, ea quæ est, non necessarium non esse: & eius quæ est impossibile esse, non est ea quæ est, impossibile non esse, sed hæc, non impossibile esse. eius uero quæ est, impossibile non esse, ea quæ est non impossibile non esse. Vniuersaliter uero (quemadmodum dictum est) esse quidem & non esse, oportet ponere quemadmodum subiecta, negationem uero & affirmationem hæc facientem, ad esse & non esse apponere, et has oportet putare esse oppositas dictiones, possibile, et non possibile: contingens, non contingens: im-
22 possibile, non impossibile: necessarium, non necessarium: uerum, non uerum. Consequentiæ uero secundum rationem fiunt, cum ita ponuntur. Illam enim quæ est, possibile esse, sequitur ea quæ est, contingit esse: et hæc illi conuertitur, et non impossibile esse, et non necessarium esse: illa uero quæ est, possibile non esse, et contingens non esse, ea quæ est non necesse non esse, & non impossibile non esse: illam autem quæ est, non possibile esse, & non contingens esse, ea quæ est, impossibile esse, & necesse non esse: illam vero quæ est, non possibile non esse, & non contingens non esse, ea quæ est, impossibile est non esse, & necessarium est esse. Consideretur autem ex subscriptione quemadmodum dicimus.

Prima descriptio consequentium.

I	III
Possibile esse	Non possibile esse
Contingens esse	Non contingens esse
Non impossibile esse	Impossibile esse
Non necessarium esse	Necessarium non esse
Possibile non esse	Non possibile non esse
Contingens non esse	Non contingens non esse
Non impossibile non esse	Impossibile non esse
Non necessarium non esse	Necessarium esse
II	IIII

23 Hæ igitur, impossibile, & non impossibile, eam quæ est contingens & possibile, & non contingens & non possibile sequuntur quidem contradictorie: sed conuersim, eam enim quæ est, possibile esse, negatio impossibilis sequitur: negationem vero affirmatio, nam illam non possibile esse, ea quæ

24 *est impossibile esse: affirmatio enim est impossibile esse: non impossibile vero negatio.* Necessarium *vero quemadmodum se habet, considerandum est.* Manifestum *est enim, quoniam non eodem modo, sed contrarie sequuntur: contradictorie autem sunt extra, non enim est negatio eius, quæ est, necesse non esse, ea quæ est non necesse esse, contingit enim veras esse vtrasque in eodem, quod enim est necessarium non esse, non est necessarium esse.*

Non igitur huius, possibile esse, negatio, possibile non esse, sed, non possibile esse. Nam si dicas, possibile esse, possibile non esse, & simul ueridicus fueris, & contradictionis dignitatem sustuleris. Quo fit, ut duorum alterum accidat, ut uel idem de eodem tum asserere, tum inficiari possis, atque proinde contradictionis authoritatem subuertas: uel illam quidem fixam & immotam retineas, hicque prærogatiuam modo dones: ac non secundum esse & non esse, uerum secundum modos qui hic adiiciuntur ac dicuntur, dictiones & negationes fient. Dictionis porro nomen in affirmatione tibi intelligendum. Si ergo illud impossibile, quid tandem? nimirum contradictionis uires subuerti: hoc sane sit eligendum, ut inficians particula cum modis componatur. Huius igitur, possibile esse, negatio fuerit, non, possibile non esse, sed, non possibile esse: atque eadem etiam abs te amussis in Contingenti, Necessario, & Impossibili obseruetur. Nam & huius, contingens esse, negatio, non contingens esse. Et huius etiam, necessarium esse, non necessarium esse. Huius quoque, impossibile esse, non impossibile esse. Vt enim in propositionibus ex tertio insuper prædicato nexis, est, adiiciebatur: cætera ad ipsum collata, subiecti uice erant: idcircoque primas tenebat, illique, non, addicebatur: Itidem hic quoque ipsum, est, subiacet, modus adponitur. Proindeque rursum modus uerbo, est, potioris est iuris. Vtque illic, est, & non est, uerum mendaciumque discriminabant: Sic rursum modi quoque adiecti, ueri falsique arbitrium penes se habent. Atque huius, possibile esse, negatio est, non possibile esse: simplicis scilicet affirmationis negatio simplex. At uero huius, possibile non esse, quæ tandem propositio contraiacens fuerit? An, non possibile esse? Minime. Hæc enim isti, possibile esse attributa est. hæc igitur relinquitur, non possibile non esse. Quemadmodum & huius, possibile esse, haudquaquam propositio contraiacens hæc est, possibile non esse. (Nam utraque affirmatio) sed, non possibile esse. Nam huius, possibile esse, ista, possibile non esse, assecla est. Idem si quidem esse potest, & non esse, Quoniam non hæ sunt contradictiones, possibile esse, possibile non esse. Quænam uero? possibile esse, & non possibile esse: quæ in eodem simul ueridicæ nunquam sunt. Consimiliter item in necessario fit & impossibili. Quid multis opus ac superuacuis? Perspicuum enim est his qui prorsus contineri ualent. In summa, esse & non esse, ut subiecta statuenda sunt: ista uero quæ affirmationem & negationem moliuntur, ad esse uel non esse adiungenda. Quod a me quidem, utpote Philosopho, & breuiloquo, circuncise perstrictum est: huiusmodi tamen subiicit intellectum, si cui sententiam explicare sedeat, Esse & non esse immutabilia seruet: quæ autem affirmationem faciunt, scilicet modos (neutro uero genere ex grammatices licentia extuli) particulæ negatoriæ uel adiectu uel abiectu euariet, exindeque quatuor propositiones, duas simplices, quæque ex transpositione fiunt, ueneturt, ut, possibile esse, non possibile esse. En duas expiscatus es propositiones simplices. Ac rursus, possibile non esse, non possibile non esse: Alteras quoque duas habes, nullatenus esse & non esse commutatis, sed modo uariegato. Ac ut sæpius eadem de re commentemur, eas putare oportet contraiacentes esse dictiones, idest affirmationes & negationes, quæ secundum possibile & non possibile, contingens & non contingens, impossibile & non impossibile, necessarium & non necessarium, uerum non uerum, contradicunt. Verum, autem nunc adieci, ut indicarem non solos esse quos recensui modos, sed etiam alios quotquot reperire quispiam possit: qui quidem naturæ comprehensibiles, nobis incomprehensibiles sunt. Atque ista hunc in modum. Iam uero deinceps ad Modalium propositionum consecutionem aggrediendum. Cum autem quatuor sint Modi, Possibile, Contingens, Impossibile, Necessarium: possibilis propositiones in descriptione prius persecuti, ac eas ceu exemplares quasdam imagines nacti, quænam ex modalibus eas consequantur, quænam eis contradicant, ostendamus. Sciendum ergo omnes contingentis propositiones omnium possibilis propositionum assectatrices esse quaternas quaternarum, simplices simplicium, transpositiitias transpositiarum: Huius simplicis affirmationis, possibile esse, hanc itidem simplicem affirmationem, contingens esse: Huius simplicis negationis, non possibile esse, hanc etiam simplicem negationem, non contingens esse; Huius ex transpositione affirmationis, possibile non esse, hanc quoque ex transpositione

spositione

ſpoſitione affirmationem,contingens non eſſe: Huius ex tranſpoſitione negationis,non poſſibi/le non eſſe,hanc denique ex tranſpoſitione negationem,non contingens non eſſe. Omnes autem impoſſibilis propoſitiones aduerſe ad poſſibilis & contingentis enunciationes ſeſe habent. Cum enim illæ ſunt affirmationes ſimplices,ſunt hæ negationes e diuerſo ſimplices:Cum illæ ſunt ex tranſpoſitione affirmationes, hæ ſunt contra ex tranſpoſitione negationes. Prius ergo poſſibilis affirmatio ſtatuenda,cui contingentis ſimiliter aſſertio ſublocanda: ſubter quas impoſſibilis ne/gatio,ſecundum quas denique neceſſarii eodem modo negatio: Idque merito. Nam quod poſ/ſibile eſt & contingens eſſe,illud impoſſibile eſſe,dicere,ridiculoſum:non impoſſibile autem,ue/ridicum. At uero ſubter non poſſibilis propoſitionem non contingentis pronunciatum, ut ſe/ctarium colloca, ſub quibus deinde impoſſibilis propoſitionem, ut aduerſam: ſecundum quas demum neceſſarii ex tranſpoſitione affirmationem. Cur autem in prioris explicationis ſerie ſimplex neceſſarii negatio ſtatuebatur, hic uero contra non ſimplex negatio, ſed quæ ex tran/ſpoſitione confit,proceſſu diſcemus. Rurſum igitur ſub propoſitione, poſſibile non eſſe, con/tingens non eſſe ponatur:tum,non impoſſibile non eſſe, tum,neceſſarium non eſſe. Ab hoc ſub hac,non poſſibile non eſſe,tum,non contingens non eſſe, tum,impoſſibile non eſſe,tum,neceſſa/rium eſſe. Impoſſibilis ergo propoſitiones legitima ſerie explicauimus, haudquaquam tamen uſque adhuc neceſſarii. Quæ enim contradictionem in ipſo neceſſario efficiunt, angulares tibi in deſcriptione exponuntur. Nam ſimplex affirmatio, neceſſarium eſſe, in quarta pagella infra locata reperietur, ſimplex negatio non neceſſarium eſſe, in prima pagella explicatur poſtrema: rurſus affirmatio tranſpoſititia, neceſſarium non eſſe, in infima ſecundi uerſus parte reperitur. Cuius negatio,non neceſſarium non eſſe, in tertiæ pagellæ meta locatur: hæ porro ad lineam e regione inuicem ſitæ,nondum tamen contradictionem moliuntur. Neque enim, neceſſarium non eſſe,huic,non neceſſarium eſſe,contradicit: neque item,neceſſarium eſſe,huic,non neceſſa/rium non eſſe. Pulchre igitur a nobis eſt dictum, huius, poſſibile eſſe, contingere eſse, conſe/quens haberi, quemadmodum contingentis etiam poſſibile: & horum quidem, rurſum non impoſſibile eſse,& non neceſsarium eſse, cæteraque eodem modo. Quorſum enim attinet quæ exacte ſemel anquiſita ſunt denuo inculcare? Conſideretur autem ex ſubſcriptione,quemadmo dum dicebamus,Poſſibile eſſe,contingens eſſe, non impoſſibile eſſe, non neceſſarium eſſe: non poſſibile eſſe,non contingens eſse,impoſſibile eſſe, neceſsarium non eſse. Poſſibile non eſse, con/tingens non eſse,non impoſſibile non eſse,non neceſsarium non eſse, non poſſibile non eſse, non contingens non eſse,impoſſibile non eſse, neceſsarium eſse. Igitur impoſſibilis tum affirmatiuæ tum negatiuæ propoſitiones, eas quæ poſſibilis & contingentis ſunt iuxta contradictiones ex/plicationem conſequuntur. Sub his enim, poſſibile eſse, non poſſibile eſse, contingens eſse, non contingens eſse: iſtæ, non impoſſibile eſse, impoſſibile eſse, exponuntur. Sic igitur ſequuntur, hoc eſt,omnis impoſſibilis contradictio, omnem poſſibilis contradictionem. Sed obuerſe tamen ſeſe habent. Quænam uero eſt obuerſio? quod nimirum ſub poſſibilis affirmatione,impoſſibi/lis negatio:ſub poſſibilis negatione,impoſſibilis affirmatio,uice uerſa ponuntur. Sic enim in de/ſcriptione ſitæ ſunt. In prima quidem ſerie poſſibile eſse,affirmatio ſimplex,contingens eſse, eo/dem modo:ſubtus hanc,non impoſſibile eſse,negatio ſimplex.uiden manifeſtam obuerſionem? Nam ſub poſſibilis affirmatione, impoſſibilis negatio ſuccedit. In ſecunda ſerie, prima poſſibilis negatio ſita eſt,ſcilicet non poſſibile eſse: ſubter quam contingentis negatio,nempe,non contin/gens eſse: ſub quibus impoſſibilis affirmatio, hoc eſt, impoſſibile eſse, ſublocatur. Quanquam enim,priuanti propoſitioni ſimile eſt impoſsibile eſse, attamen manifeſto eſse negatio. Ne ergo contrarium quod dico autumes,ea ſcilicet obuerſe ſequi.Conſequens enim,quiſpiam dicet,non ei obuertitur cuius eſt conſequens. Si igitur impoſsibilis propoſitiones, eas quæ poſsibilis & contingentis ſunt conſequuntur:qui tandem obuerſæ etiam ſeſe habent? Quoniam,o bone,ali/ter conſequi, aliter obuerti accipiendum. illud, ſecundum totam contradictionem: hoc ſecun/dum propoſitionum qualitates. Nam qua poſsibilis propoſitiones & impoſsibilis contradicunt, ſequelam accipies:qua uero ſub affirmatiua poſsibilis propoſitione, impoſsibilis negatio, & ſub poſsibilis negatione, impoſsibilis affirmatio ſubiacet, obuerſionem intelliges. impoſsibilis ergo propoſitiones,uti diximus,eas,quæ poſſibiles ſunt hoc ſane modo ſequuntur, & erga eas ſic ob/

uerse se habent. At uero necessario propositiones quo tandem modo speculabimur? An hasce
consimiliter atque impossibilis contingentis, possibilis propositiones inter se affectas reperia/
mus:ita ut ad lineam sibi respondentes, ut etiam illæ,contradicant? Atqui non sic reperiemus,
etiam si permultum ac perdiu insudemus. Vos enim docuimus, contradictionis speciem aut ex
simplicibus similiter propositionibus tum affirmatiuis tum negatiuis, aut ex utrisque transpo/
sitione præditis componi: In descriptione uero, ultima necessarii propositio, quæ in quarto or/
dine in dextra descriptionis parte sito locatur, simplex est affirmatio, necessarium esse: quæ au/
tem ex transuerso obiacet,ex transpositione est negatio,non necessarium non esse.Itaque nequa/
quam id contradictio. Itidem quoque superiores necessarii propositiones, altera simplex est ne/
gatio, altera ex transpositione affirmatio. Quare ne istæ quidem contradicunt. Cuiusmodi er/
go sunt,cum præsertim non contradicentes? uestro quidem in animo par erat oppositionis spe/
ciem efformare, si modo eorum quæ paulo ante explanauimus memores estis. Vt autem uo/
bis etiam hoc ipsum gratificemur, ne demum exquirendo laboretis, huiusmodi sane proposi/
tiones esse contrarias dicemus. Quonam,inquis,id constat? Quod commentiantur. Nam con/
trariarum esse propositionum notationem diximus, commentiri. Quod autem commentian/
tur, ostendere enitar. Ac superiores necessarii propositiones, non necessarium esse, & necessa/
rium non esse, proponantur, hisque necessaria materia subiiciatur. Esto porro hæc, Homo est
animal. De eodem ergo ambas propositiones enuncia,& commentientes deprehendes: non ne/
cessarium hominem animal esse, mentitus es, necessarium hominem animal non esse, itidem
mentitus es. Cum igitur commentiantur, contrariæ sunt. Sed quemadmodum contrariæ hæ
propositiones in materia necessaria commentiuntur:Sic in impossibili simul ueraces sunt. Sem/
per enim contraria est necessaria impossibili. Impossibilis ergo materia ponatur, hominem scili/
cet uolare, & de eodem utraque enunciato, ac ueracia utraque simul reperies, non necessarium
hominem uolare, necessarium non uolare, utraque simul uera sunt. Quemadmodum autem
hæ in necessaria commentiuntur,in impossibili simul ueræ sunt: Sic duæ aliæ necessarii propo/
sitiones,in impossibili quidem commentiuntur:in necessaria simul ueræ sunt. Quod si utrasque
in eodem ueraces esse posse dixi, idcircoque contrarias esse: ne ob id ambigas, cur cum supra
commentiri propositionum esse contrariarum notationem dixerimus, nunc eam simul uerum
enunciare asseramus? Quoniam non tantum,simul ueraces sunt,uti dictum est, uerum etiam
commentiuntur. Ideo autem commentiuntur, quia etiam simul ueridicæ existunt. Commen/
tiendi igitur uice, commentiendi causam, uidelicet simul ueras esse pronunciaui. Nam quæ si/
mul ueridicæ sunt,etiam commentiuntur:quæ autem commentiuntur,non protinus etiam ue
ridicæ sunt. Commentiendi enim loco, commentiendi causam, nempe simul ueras esse, dixi.
Nam ipsæ necessarii propositiones, quæ simplices possibilis enunciationes consequuntur has,
tum,possibile esse,tum,non possibile esse: Istæ,non necessarium esse,& necessarium non esse,in
necessaria materia commentiuntur. Quod proposito discas exemplo. Non necessarium homi/
nem respirare,necessarium non respirare,ambæ falsæ. Quod si impossibilem materiam accipias,
utrasque simul ueras reperies,non necessarium hominem uolucrescere, necessarium non uolu/
crescere. Quæ uero possibilis enunciationes ex transpositione factas, necessarii propositiones
sequuntur, non necessarium non esse, & necessarium esse, contra afficientur; simul enim ueræ
sunt in necessaria materia in impossibili commentiuntur.

Causa autem huius est, cur non sequitur similiter cæteris:quoniam contrariæ,impossibile es/
se,necessario redditur idem valens:nam quod impossibile est esse,necesse est hoc,non quidem esse,
sed potius non esse.quod vero impossibile est non esse, hoc necessarium est esse. quare si illa simili/
ter sequuntur possibile & non possibile, hæc econtrario, quoniam non significant idem, necessa/
rium & impossibile, sed (quemadmodum dictum est) conuersim. At certe impossibile est sic po/
ni contradictiones necessarij. Nam quod est necessarium esse,possibile est esse:nam si non,negatio
consequetur: necesse enim est aut affirmare aut negare, quare si non est possibile esse, impossibi/

le est esse, igitur impossibile est esse, quod necesse est esse, quod est inconueniens. At vero *illam quæ est possibile esse, non impossibile esse, sequitur: hanc vero, ea quæ est non necessarium esse,*
16 *quare contingit quod est necessarium esse: non necessarium esse, quod est inconueniens.* At ve*ro neque necessarium esse, sequitur eam, quæ est possibile esse, neque ea quæ est necessarium non esse. Illi enim vtraque contingit accidere: harum autem vtralibet vera fuerit, non erunt illa vera. simul enim possibile est esse, & non esse: si vero necesse est esse, vel non esse, non erit vtrun-*
17 *que possibile: relinquitur ergo, non necessarium non esse, sequi eam quæ est, possibile esse.* Hæc *enim vera est, & de necesse esse. hæc enim fit contradictio eius, quæ sequitur illam, quæ est, non possibile esse: illam enim sequitur ea quæ est, impossibile esse, & necesse est non esse: cuius negatio*
18 *est non necesse non esse. Sequuntur igitur & hæ contradictiones secundum prædictum modum, & nihil impossibile contingit sic positis.*

Secunda descriptio.

I	III
Possibile esse	*Non possibile esse*
Contingens esse	*Non contingens esse*
Non impossibile esse	*Impossibile esse*
Non necessarium non esse	*Necessarium non esse*
Possibile non esse	*Non possibile non esse*
Contingens non esse	*Non contingens non esse*
Non impossibile non esse	*Impossibile non esse*
Non necessarium esse	*Necessarium esse*
II	IIII

Verum forsitan quispiam obiiciat, cur simplex impossibilis propositio, eas quæ simplices sunt, tum possibilis, tum contingentis consequatur: quæ autem necessarii est, illis obuertatur, ac ex transpositione sit. Sic enim in diagrammate locantur, non possibile esse, non contingens esse, impossibile esse, tres simplices propositiones: deinde, necessarium non esse, affirmatio ex transpositione. Cur non igitur & hæc quoque simplex? Solutio, quoniam obuertitur, o bone, necessarium impossibili, ex uniformi facultate easdem cum illo uires habens. Nam horum utrumque & solitarium est & indubitatum: & cum in alterutro crure horum utrumque uerax fuerit, in altero mentitur, sed obuertuntur tamen: quoniam quod impossibile esse dicimus, hoc necessarium non esse asseueramus: & quod necessarium esse, illud impossibile non esse. Quod enim impossibile esse, necessarium illud non esse, minime autem, esse. Id uero, necessarium hoc non esse: hoc certe significat, non dici necessarium esse. Quoniam enim hanc impossibile esse, non sequitur, necessarium esse: id ipsum utique sustollimus, ut huic, impossibile esse, nequaquam adhærescat, necessarium esse. Idcirco dicimus, quod impossibile est




esse, necessarium illud non esse: hoc est necessarium esse, cum impossibile esse, non debere connecti: sed necessarium non esse. Quod enim impossibile esse, illud idem necessarium non esse. Quoniam igitur necessarium erga impossibile obuersim afficitur, idcirco sub simplici impossibilis propositione: quæ necessarii est ex transpositione, substituitur: sub impossibilis autem propositione traductitia, necessarii simplex (Quare si illa similiter possibile & non possibile consequuntur, & hæc ut e contrario) Quid uero istud? Quoniam necessarium impossibili obuertitur, & cum horum alterutrum simplex, alterum continuo ex transpositione emicat. Illa autem, hoc est, duæ impossibilis particulæ, nimirum impossibile & non possibile esse, propositiones eas quæ possibilis, & contingentis sunt, simpliciter comitantur: Consentaneum est, ut eas e contrario necessarii propositiones sequantur. Ideoque simplices possibilis & contingentis propositiones, illæ quæ impossibilis simplices existunt, consequuntur: ac impossibile ipsum, propositiones necessarii ex transpositione. Quamobrem? ut etiam denuo eadem iteramus, quoniam non idem significant necessarium & impossibile: sed, ut dictum iam est, obuersim: uel adeo nisi, ut constituo, res habeat, ac nisi necessarium impossibili obuersum sit, alioqui fieri non potest, ut recte necessarii contradictiones statuantur. Vnde descriptio quoque, quam quaternis tetragonis distinximus, inque singulis quatuor modorum enunciationes præposite subiecteque declarauimus, neque in totum deliquit, neque item solida usquequaque ac recta perstat. Verum quæ in dextra sunt parte, philosophice ac sane sese habent: quæ autem in sinistra, peccant. Si ergo quis necessarii propositiones quæ in sinistra sunt, traducat: & superiorem ponat inferiorem, inferiorem uicissim superiorem: totam descriptionem incolumen sanamque reddet. Sed tamen ne indemonstratum quis curiosumque negocium, huiusmodi transpositionem a nobis innouatam esse mussitet, philosophice rationem exquiramus. Nam ipse assero sub propositione, non impossibile esse, hanc, non necessarium non esse, locari debere. Tu contra forte non hanc, sed alteram, non necessarium esse, contendis. Quid igitur dicas, exploremus, ac propositionem, necessarium esse, præponamus. Ecquanam igitur ex possibilis propositionibus ipsam sequatur? Equidem simplicem affirmationem, possibile esse, aio. quod enim necessarium esse, illud possibile esse. Sed forte repugnabis, quasi hæc possibilis propositio, illam necessarii propositam nequaquam sequatur. Reliquum igitur, ut huius negatio sequatur. quod quam absurdum sit, uideto. si enim hanc, necessarium esse, ut uis, ista, non possibile esse, comitatur: hanc autem, non possibile esse, ut par est, ista, impossibile esse: igitur & hanc, necessarium esse, ista, impossibile esse, consequetur: & in eodem utraque tum, necessarium esse, tum, impossibile esse, dicere continget, quod prorsus est absurdum. Sed tamen istæc absurditas abs te profecta est, qui per hypothesin, contendebas, huius, necessarium esse, istam, possibile esse, non esse sequelam: sed, non possibile esse. Et quoniam tua confutata est obiectio, iam positum sit, huiusce, necessarium esse, istam, possibile esse, consequium haberi. Et id quidem ceu sumptiunculam quandam habeto: huiusmodi autem inde speculationis inductio fluit. Si hanc, necessarium esse, ista, possibile esse, consequitur: hanc item, possibile esse, ista, non impossibile esse: hanc denique, non impossibile esse, ut uis, non necessarium esse, iuxta tuam quoque opinionem, hæc, non necessarium esse, istam etiam, necessarium esse, consequetur: quod sanequam absurdum. Vndenam igitur error? quod sub simplici possibilis negatione, simplex necessarii affirmatio posita est: quod sæpenumero interdiximus. Nam si mutatione facta eam quæ ex transpositione est, loces, nihil absurdum continget. Nam hæc, non necessarium non esse, etiam istam, necessarium esse, sequitur: Siquidem quod, necessarium esse, illud idem, non necessarium non esse. Sed obiiciat quispiam, si duæ necessarii duntaxat propositiones fuissent, uerisimile futurum, sublata una, illico alteram sequi. Cum autem quatuor sint, duæ simplices, totidem transpositititiæ: undenam manifestum una harum sublata, id est hac, non necessarium esse, illico trium unam, scilicet, non necessarium non esse, quadraturam? An non etiam cæteræ, quas nondum improbasti, congruent? Igitur respondeo, neque, necessarium esse, neque, necessarium non esse, huius, possibile esse, ullo modo consequia haberi. Nam huic quod possibile est esse, utrumque iuxta accidit, tum, esse, tum, non esse. Siquidem, hominem lauare, possibile est, & non lauare. At uero, necessarium esse, &, ne-

cessarium non esse, nequaquam in utramque partem ambigunt, sed unius duntaxat formæ sunt. Quinam ergo quæ uniformia sunt, ea quæ utroque uersum ambigunt, consequentur? Nulla ergo ipsarum alia sequetur quam hæc, non necessarium non esse. aut enim, necessarium esse, unico modo: aut non esse, unico item. Nam utrumque non possibile. Possibile siquidem non unico duntaxat modo. Solus etenim possibilis modus, non unice ac singulariter accipitur, sed ad utrumque ambigit. Quoniam igitur hæc propositio, non necessarium non esse, & de hac, necessarium esse, uere dicitur, & propositioni hanc, non possibile esse, consequenti, quæ sane est, impossibile esse, contradicit: huius autem modi est illa propositio, necessarium non esse, cuius negatio, non necessarium non esse: Quoniam igitur sic inter sese propositiones coniugantur, transpositione, ut dixi, facta: contradictiones ergo necessarii conuenienter, ut diximus, explicatæ sunt, nihilque sic digestis impossibile contingit.

19 *Dubitabit autem aliquis si illam quæ est necessarium esse, ea quæ est possibile esse, sequitur: nam si non sequitur, contradictio sequetur, quæ est non possibile esse. Et si quis hanc non esse dicat contradictionem, necesse esse dicere, possibile non esse: sed utræque falsæ sunt de necesse esse. At vero rursus idem videtur esse possibile incidi, & non incidi: & esse & non esse. quare erit, necesse esse, contingens non esse: hoc autem falsum est. Manifestum est autem quoniam non omne possibile vel esse, vel ambulare: etiam opposita posse, sed est in quibus non sit verum, & primum quidem in iis, quæ non secundum rationem possunt, ut ignis calefactiuus est, & habet vim irrationalem: quæ igitur secundum rationem potestates sunt, eædem plurium etiam contrariorum sunt: irrationales vero non omnes, sed (quemadmodum dictum est) ignem non est possibile, calefacere, & non: neque quæcunque alia semper agunt: alia vero possunt & secundum irrationales potestates simul opposita suscipere, sed hoc huius gratia dictum est. quoniam non omnis potestas oppositorum susceptiua est, neque quæcunque secundum eandem speciem dicuntur.*

Quoniam cum probare uellemus sub hac, non impossibile esse, istam, non necessarium non esse, subiici conuenire, supra sumptiunculam, ante syllogismum posuimus: quod scilicet hanc, necessarium esse, istam possibile esse consequatur: dubitarit quispiam, quo tandem modo hanc, necessarium esse, istæc, possibile esse, sequatur. Hoc siquidem, biforme est, & contraria suscipit: illud, uniforme, in uno solo uires habens. Nam possibile lauare, & non lauare: non tamen necessarium respirare, & non respirare. Qui tandem igitur possibile, quod contrarietatem suscipere ualet, cum necessario, quod uniforme, quod indiuiduum est, quod in uno solo uires habet, parilem obtinere facultatem potest? Quid ergo? hic sermo, qui possibile, esse necessarii consectarium comprobauit, subuertetur? at ille profecto quam maxime demonstratiuus, & longe uerissimus est. Aut enim affirmatio aliquid, aut negatio sequitur: nihil enim intermedium. Atqui possibilis negatio haudquaquam necessarii affirmationem consequebatur. Ex necessitate ergo consecutrix affirmatio est inducta. Quod si quis contendat, neque affirmationem neque negationem simplices possibilis propositiones, affirmationis necessarii esse secutricis, sed solam duntaxat traductitiam possibilis enunciationem, utputa, possibile non esse: ne sic quidem tutus ac firmus erit sermo. Nam qui fiat, ut quod necessarium sit, possibile sit non esse? Ecquam igitur quis uiam secet aut teneat, utrisque præsertim maxime necessariis exclusis? Nam ueluti ambidextræ utrinque manus telo pulsati, aduersum neutram resistere possumus. attamen ars est & methodus, iuxta cuius præscripta, tum illesum quod demonstrauimus & inuulneratum seruemus, tum aduersus dubitationem manus conseramus. Quænam igitur ars? quænam resolutionis ratio? Nimirum possibilis æquiuocationem, ambiguitatis authorem fuisse. Nam cum duplex sit possibile: ita ut altera eius portio contraria suscipere possit, altera uniformis & singularis sit: quæ ad utrumque ambigit, cum contingenti allegetur:



quæ nequaquam ambigit, cum neceſſario decuriabitur. Non enim omne quod uel eſſe uel ambulare ualet, protinus etiam oppoſitorum eſt capax. Sed in quibuſdam interdum ſubiectis poſſibile depræhendetur uniforme. Omne etenim poſſibile, aut ſolam duntaxat aptitudinem ſortitur, quæ in actum progredi non poſſit, ut magnitudinum in infinitum ſectio, & numerorum in infinitum proceſſus: aut etiam actum ſubire poteſt, ut qui non moueatur, eum moueri poſſe dicimus: aut adeo in actum egreſſum, id ipſum poſſe quod agit dicimus, ut eum qui moueatur, poſſe moueri dicimus. Rurſus eorum quæ actu mouentur, alia adſcititiam habent motus potentiam, ut homo qui mouetur: alia connatam. Eorum porro quæ congenitam habent potentiam, alia ſupra mentem, ſupra rationem, & æuiterne, ut deum, potentiam habere bene agendi, uſurpamus: & alia æuiterne duntaxat, ut cælum, potentiam, ut moueatur, habere dicimus: alia non æuiterne, ſed uſque dum ſubiectum ſit ſuperſtes, ut haſce ſaculas, &, haſce thedas calfaciendi potentiam habere dicimus. Ex his ergo potentiis quæcunque ſupra mentem, ſupra rationem, & æuiterne exiſtunt, & quæcunque æuiterne duntaxat ſunt, ad hæc quæ uſque dum ſubiectum ſit ſuperſtes, illæ neceſſario omnes adnumerantur. Contra quæcunque agere ualent, ſed actione tamen uiduata ſunt, contingentis claſſi accenſentur. Quæ uero ab aptitudine ad actionem producta ſunt, quatenus etiam ipſæ ab hoc in illud, in alia aut in oppoſita tranſiliunt, ne hæ quidem a contingente abſcedunt: quatenus autem quandiu agunt, contrarii actionem nihil participant, ea quam agere uidentur: eatenus neceſſario adiudicantur. Rurſum ex potentiis aliæ cum ratione eſſentiam habent: aliæ citra rationem. Quæ igitur cum ratione fiunt, aut artificiales ſunt, aut electiuæ, & contraria recipiunt. Nam poſſibile ſanare, & non ſanare: tum lauare, & non lauare: illud artis, hoc uoluntatis. Eorum uero quæ citra rationem fiunt, alia contrarietatem recipiunt, alia nequaquam. Nam ignis calfaciens, nequaquam etiam refrigerat: at lignum tum finditur, tum non finditur: & equus tum mouetur, tum non mouetur, quibuſdam ipſe quoque uiſis inductus. Omnes igitur quæ cum ratione ſunt potentiæ, poſtquam contrarietatem ſubeunt, ad contingens reiiciantur: earum autem quæ ſine ratione ſunt, quæcunque ambigunt, etiam ipſæ eodem rediguntur: quæcunque autem ſolitariam ſortiuntur motionem, neceſſario ſecernantur. Quocirca quæ cum ratione ſunt potentiæ, eædem plurium ſunt, & contrariorum. Plurium quidem, ut, poſſibile hominem, tum, lauare, tum, moueri, tum, legere: & quæ huiuſmodi. Contrariorum uero, ut eundem & ægreſcere, & ualere, & docere, & diſcere. Sed & aliæ, nec tamen omnes, ſcilicet irrationales, ut idonee diſcreuimus. Quædam enim etiam eorum quæ iuxta irrationales potentias feruntur, contraria pariter recipiunt, aſtruentem ſcilicet propoſitionem, & abnegantem contrarietatem. Simul etenim utrumque in ueſte dico, poſſibile ſecari, &, poſſibile non ſecari. Verum iſta quidem multum hodierno die idcirco facunde diſceptata ſunt, ut oſtendatur omnem nequaquam potentiam eſſe contrariorum receptricem: ne illas quidem quæ ſecundum eandem ſpeciem dicantur, hoc eſt, ne illas quidem quæ ſub poſſibilis irrationali parte dicantur. Nam oſtenſum iam eſt, eorum, quæ ſub illo ſtatuantur, quædam contraria ſuſcipere, quædam non ſuſcipere.

30 *Quædam vero poteſtates æquiuocæ ſunt: poßibile enim non ſimpliciter dicitur: ſed hoc quidem quoniam verum eſt, quod in actu eſt, vt poßibile eſt ambulare: quoniam ambulat iam, & omnino poſſibile eſt eße, quoniam iam eſt in actu, quod dicitur eße poßibile, illud vero quoniam erit actu, vt poßibile eſt ambulare, quoniam ambulabit: & hæc quidem in ſolis mobilibus eſt poteſtas: illa vero & in immobilibus, vtrumque vero verum eſt dicere poßibile ambulare vel eße: & quod ambulat & agit, & ambulabile eſt.*

31 *Sic igitur poßibile non eſt verum de neceßario ſimpliciter dicere: alterum autem verum eſt. quare, quoniam partem vniuerſale ſequitur, illud quod ex neceßitate, conſequetur poße eße, ſed non omne.*

Tertia deſcriptio.

I	III
Neceſsarium eſse	*Non neceſsarium eſse*
Non poſſibile non eſse	*Poſſibile non eſse*
Non contingens non eſse	*Contingens non eſse*
Impoſſibile non eſse	*Non impoſſibile non eſse*
Neceſsarium non eſse	*Non neceſsarium non eſse*
Non poſſibile eſse	*Poſſibile eſse*
Non contingens eſse	*Contingens eſse*
Impoſſibile eſse	*Non impoſſibile eſse*
II	IIII

21 *Et eſt quidem fortaſſe principium, quod neceſſarium eſt, & quod non neceſſarium eſt omnium vel eſſe, vel non eſſe: & alia quemadmodum horum conſequentia, conſiderare oportet. Maniſeſtum eſt autem ex ijs quæ dicta ſunt, quoniam quod ex neceſſitate eſt, ſecundum actum eſt: quare ſi priora ſunt ſempiterna, & quæ actu ſunt, poteſtate priora ſunt, & hæc quidem ſine poteſtate actus ſunt, vt primæ ſubſtantiæ: alia vero cum poteſtate, quæ natura priora ſunt, tempore poſteriora: alia vero nunquam actus ſunt, ſed poteſtates ſolum.*

Quędam autem potentiæ æquiuoce ſunt: quæcunque enim ſub rationem colliguntur: quoniam omnes contraria pariter admittunt, in ſynonymiam omnes conducentur. Earum uero quæ ſub irrationali conſtituuntur, quoniam aliæ contrariorum capaces ſunt, aliæ nequaquam: de illis duntaxat ſolis iure optimo id (quædam uero potentię æquiuocę ſunt) intelligatur. Nam poſſibile, ut ſæpicule iam dictum eſt, non ſingulariter, ſed multifariam dicitur: partim enim quod uerum, ut actu exiſtens: hic autem mihi non ſolum quæ genitiuam habent actionem, ut deum, cælum, ignem, intelligito: ſed etiam quæ ab aptitudine, ad ipſam ſunt progreſſa, ut ſupra interim poſuimus. Nam & hæc quandiu mouentur, utique mouentur, neceſſarioque ac uero aſſimilia ſunt. partim quod actu ſit futurum, Cuiuſmodi ſunt quæ iuxta aptitudinem dicuntur, in actumque exire poſſunt: uti, quieſcentem ambulare, &, dormientem excitari poſſe, dicimus. & hæc quidem potentia, quæ ſcilicet ambigit, & bifariam intelligitur, in mobilibus duntaxat eſt ſolis. Mobilia porro inaudito, non quæ actu mouentur, ſed quæ potentiam, ut moueantur, habent. Altera autem potentia, quæ cum neceſſario eſt æqua, etiam in immobilibus locum habet. Ne uero te particula etiam prętereat. Nam & mobilia, quæ ſcilicet in genitura labeque uerſantur, cum ab ea, quæ potentia eſt motione in actum commigrarint, quo tempore mouentur certe tum his quæ neceſſario mouentur, conſimilia uidentur. Et quia ſpecies & actus eſt motio, huius quod mouetur, uocaturque hæc potentia: idcirco etiam in immobilibus, quæ cum neceſſario coniugetur & maritetur, fore potentiam aſſero: hoc eſt & in mobilibus, quæ actu mouentur, & in immobilibus. Quiſpiam obiiciat, quamobrem, non neceſſarium eſſe, in neceſſarium non eſſe, commutauimus? non impoſſibile autem eſſe, in eadem forma reliquimus? Ac ſolutio quidem manifeſta. Nam non impoſſibile eſſe ambulare, aut omnino eſſe, tum in non ambulante, ſed potentiam tamen ambulandi ſortito, tum, in eo qui actu ambulet, intelligitur. Idcirco huius, neceſſarium eſſe, poſſibile eſſe, ſequelam aſſerimus: ſub quo non impoſſibile eſſe dicimus. Nam & actu ambulantem, non impoſſibile ambulare, potentiamque ambulandi ſortitum



non impossibile itidem ambulare dicimus. Ac in hunc sane modum est intelligendum, si, non impossibile esse, scribitur. Quod si quidam in suis forte codicibus non possibile, habeant, ita dirigendum, quod scilicet; non possibile esse, in eo qui actu ambulet, & in eo qui ambulationis potentiam habeat, uerum enunciat. Nam & hominem qui moueatur, non possibile esse moueri, cum præsertim etiam interdum quiescat, & eum qui non moueatur, non possibile moueri dicimus, quoniam non ex necessitate potentia in actum prorumpit. Quod si qui etiam sic habent (utrumque autem uerum est dicere, possibile ambulare uel esse, & quod ambulat iam & ambulabile) sententia sic accipienda est: quod nempe possibile ambulare, & in ambulante, & in ambulaturo, uerum dicere asseueramus. Nam & ambulantem, ambulandi potentiam habere dicimus: & ambulaturum, ambulare posse ferimus (Quod igitur sic possibile) nimirum quod & in potentia, & in actu intelligitur, illud de necessario simpliciter certe quidem dicere haud sit uerum. Nam qui, rogo, duplex de uniformi prædicetur? At dimidium possibilis, quod, scilicet, immutabiliter agit, illud ipsum aliquis de necessario idonee prædicet. Belle ergo supra diximus, possibile necessarii esse consequium, ut uniuersalius particularioris, ut, animal hominis. Non tamen quoniam sequitur, etiam omne sequitur: sed quod duntaxat agit, necessarii est secutio: quod autem agendi potentiam habet, non consequitur. Quoniam ergo agere in solo necessario intelligitur, quod autem iam agit, acturo longe absolutius est: absolutior quoque necessarii modus existit. Ideoque cæterorum etiam trium modorum facile primus. Quare eum in omni diagrammate antecedere, reliquos rationi congruenter substituere decet. Ac manifestum quidem ex his quę dicta sunt, id quod ex necessitate fit, actu esse. Nam si illam possibilis portionem cum necessario coniugari dicebamus, quæ iam agit: exinde conficitur, necessarium semper agere. Semper porro agunt æuiterna: quod si priora sunt sempiterna, his quæ geniture labique sunt obnoxia, profecto necessarium possibili & contingenti prius erit. Illa etenim in genitis substantiam sunt sortita. Opus ergo dispensato belle progressu procedere, & quædam actus duntaxat ipsius arbitrari, deum, angelum, mentem. Quanquam multa in his quoque differentia: quædam una cum potentia actum etiam sortita esse: in quibus sunt species, natura utique priores, tempore posteriores. Nam quatenus species perfectio est, potentia uero imperfecta, species potentia prior existit: quatenus uero potentia in mobilibus præcedit, postea species adnascitur: eatenus potentia specie est tempore prior. Quædam contra nunquam actu esse, sed potentia solum: ut numeri in infinitum auctus, & magnitudinum sectiones. Neque enim unquam numerus fine concludi possit, sed potentiam semper solam citra actum possidebit: neque item magnitudo quæ diuidatur, in insectile unquam definet, sed semper quod secatur, secabitur, idque in infinitum.

Quæ magis apte enunciationes contrariæ dicantur.

SECTIO V.

33 *Vtrum autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi quæ dicit, quoniam omnis homo iustus est, ei quæ est, nullus homo iustus est: aut omnis homo iustus est, ei quæ est, omnis homo iniustus est, vt est Callias iustus, non est Callias iustus, Callias iniustus est: quæ harum contraria est? Nam si*
34 *ea quæ sunt in voce, sequuntur ea quæ sunt in anima, illic autem contraria est opinio contrarij (vt quoniam omnis homo iustus est: ei quæ est omnis homo iniustus est) etiam in ijs quæ sunt in voce affirmationibus, necesse est similiter sese habere. Quod si neque illic contrarij opinio contraria est, nec affirmatio affirmationi erit contraria, sed ea quę dicta est negatio. Quare considerandum est, quæ opinio falsa, opinioni veræ contraria est, vtrum negationis, an certe ea quæ contrarium opinatur.*

opinatur. Dico autem hoc modo, est quædam opinio vera boni, quoniam bonum est, alia autem quoniam non bonum, est falsa: alia vero quoniam malum, similiter falsa: quæ harum contraria veræ? & si est vna, secundum quam contraria. Nam arbitrari contrarias opiniones definiri, eo quod contrariorum sunt, falsum est. Boni enim quoniam bonum est, & mali quoniam malum est, eadem fortasse opinio est etiam vera, siue plures, siue vna sit: sunt autem ista contraria: sed non eo quod contrariorum sint, contraria sunt, sed magis quod contrarie.

QVid uero, si Rhetoricen cum Philosophia commiscœam, & utrinque ad rationes aggrediar? ac inusitatum quoddam rhetorices genus, sed perinde tamen philosophicis reuera sermonibus congruum ostendam? Nam uulgaris istæc, & si utrinque rationes astruit: attamen cum æquales paresque utrobique dicendi sensus nanciscatur, in utramque partem uires ostentat: nec profecto mirum, cum præsertim ipsa natura duplices supeditet orationes. At uero philosophię rhetorice, tum, nescio quid amplius hic iuuenabitur, tum his quæ in confesso uera sunt generose repugnabit. hæc igitur mihi sola ex omnibus de interpretatione sectionibus, exercitationis uice explicatur. Cuius hoc caput, hæc summa est, contrariam magis esse negationem affirmationi, quam contrariam huiusce affirmationem. Nec me latent, quæ partim in categoriis dixi, partim in locis disceptaui, partim in naturalibus commentationibus enixissime contendi, in quibus omnem contrarietatem haud equidem affirmationis negationi addixi: sed si contrarium præsumpto nomen ponatur. Nunc autem ea mihi uoluntas non est, sed negationem affirmationi magis aduersari statuo quam contrariam huius affirmationem. Sed quoniam impudens est & absurdum, istud statim a prooemio audacter prosari, idcirco nonnulla cum dubitatione exordium enunciaui: (utrum contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi) ut affirmatio, homo iustus est, utrinam ex propositionibus magis aduersatur, huic ne, homo iustus non est? an isti, homo iniustus est? Sed quia propositionum genus est oratio, in ipsa quoque hypothesin meditemur ac experiamur. An igitur oratio quę dicit, omnis homo iustus est, huic, nullus homo iustus est: an isti, omnis homo iniustus est, aduersatur? Quod si libet, idem etiam addubitemus in particularibus propositionibus. Ac, uerbi causa, esto propositio uera quæ dicat, Callias iustus est: duæ igitur huic e diuerso obiacent falsæ, tum quæ dicit, Callias iustus non est, tum quæ dicit, Callias iniustus est. Cum ergo falsa sit utraque, utra tamen longe mendacior. Ac tu quidem uel ueritatem uel mendacium ex animæ opinionibus coniectato. Enunciatiuas siquidem orationes internarum esse appendices, decet: ad illasque quasi ad normam exigi, & illinc, uel ubi mentiantur, uel ubi sint ueraces, expendi. Voce igitur suppressa, tua ipsius cogitatione aliquid esse bonum opinator. Sit uero anima, quoniam ergo bonum esse tibi uidetur, agedum, ad falsam opinionem traiiciens, perpende quo statim adpellas, ad non bonum, an ad malum, ac utra tibi opinio priori magis aduersari uideatur: si affirmationis quidem eius quæ ait, anima mala est, audacter contendito propositioni quæ dicit, anima bona est, hanc esse aduersam, anima mala est: sin autem in opinionibus hęc tibi contraria non uidetur, sed negatio: in proditis hanc propositionibus magis affirmationi positæ contrariam concedito. (Quare tibi considerandum quæ opinio uera, opinioni falsæ aduersetur.) Sic autem dico, quædam est opinio uera, quæ ait, bonum, esse bonum: huic obiacent duæ, tum, quæ dicit bonum, bonum non esse: tum quæ dicit, illud malum esse. Harum ergo utra ueræ aduersatur, & si una secundum utram contraria est. Quod huiusmodi sensum exhibet. Quæ in mediatis contrariis, cum proposita, per hypothesin, uera, affirmationes pugnant, nullatenus in unum coire intellectum ualent: sed quemadmodum actu propositionibus duæ sunt, itidem duæ quoque primigeniis sensibus existunt. Nam uera affirmatio ponatur quæ ait, lac album esse, & huius item negatio, quæ inquit, lac album non esse. Contraria denique affirmatio quæ dicit, lac nigrum esse. Sed certe nigrum, & non album, eundem habere intellectum non possunt. Non enim quod non album est, illud etiam protinus est nigrum. Nam etiam non alborum sunt intermedii colores. At uero immediatis in contrariis affirmatio cum negatione conspirat, & duæ omnino sunt perinde ac una. Immediata igitur contraria sumamus, suntoque par & impar: necnon tria proponantur, ueregi

dicatur, tria numerus impar eſt, falſe uero contradicatur, tria non impar eſt. Aduerſetur itidem falſo, tria, numerus par eſt. Verumenimuero par & impar duæ ſunt utique appellationes, cum tamen medio careant, unicum duntaxat ſubiiciunt intellectum. Nam & non par, impar: & impar, non par eſt. Quocirca nonnulli ſtatim falluntur, quod contrarias opiniones a uocibus contrariis æſtiment: non enim ab his exacte illas metiaris, ſed ex eo quod contrarie inter ſe mutuo afficiantur. Quid porro iſtud contrarium & contrarie? dicimus ſane contrarium albo nigrum, contrarie autem non album. exempli gratia, ſi ita dicam, Callias albus eſt, Callias niger eſt, contrariam enunciaui uocem: ſin hoc modo, Callias albus eſt, Callias albus non eſt, non contrariam utique enunciaui uocem, ſed contrarie protuli. Siquidem, non album, minime eſt albo contrarium: ſed tamen contrarie dicitur, cum præſertim illud poſitionem, hoc ſublationem denotet. Si namque a contrariis uocibus uerum ac mendacium definiri conceſſerimus, id ipſum etiam illico confutabimus: largiter etenim in propoſitionibus contraria nomina prodigemus. Ac de bono quidem bonum prędicetur, de malo malum: dicaturque, bonum bonum eſt, &, malum malum eſt. En utraque ſimul propoſitio uera. Quod ſi ita dicam, bonum bonum eſt, bonum bonum non eſt: contrarie protuli, & concertantem poſui propoſitionem. Nam primæ propoſitiones, tum, quæ bonum bonum, tum, quæ malum malum, dicit: forſitan eadem etiam uera, ſiue plures ſiue una. Eadem enim fortaſſe, propterea quod ab eadem ſit utraque affectione enunciata. Fortaſſe autem adieci quoniam impudens quadamtenus uidetur, duas unam dicere. Verum illud propter genitricem earum cogitationem, dicimus, quæ ſibi ipſa conſimilis eſt. Hoc autem, ſiue plures, ſiue una, quoniam duæ ſunt pronunciatione, una intelligentia. Quia ergo ſimul ueraces ſunt, nequaquam contrariæ cenſentur: ſed iſta contrarie dicuntur, quæ ſecundum contradictionem efferuntur, ut, bonum bonum eſt, bonum bonum non eſt: attamen non ideo contraria dicuntur, quod contrariis uocibus conſtent, ſed quod contrarie dicantur. Cæterum nolo apiculæ more relicto auolare aculeo: ſed qui ſauciaui, idem etiam medebor. Nam qui forte exiſtimat contrariarum affirmationum conflictum, contradictionis eſſe compotem, non has ſimpliciter contrarias eſſe opiniones dicit, quæ contrariis de rebus pronuncient, ſed quæ de eodem contraria ſuſpicentur. Cæterum uobis paulo ante neque ſubiecto, neque prædicato eodem in propoſitionibus ſeruato, impoſuimus. Nam ſi ita poſitum fuiſſet, bonum bonum eſt, bonum malum eſt: deinde propoſitiones ſimul ueridicæ eſſent repertæ, perbelle profecto argumentari eſſemus uiſi. Quoniam autem terminos prorſus immutauimus, obratiocinationem, non demonſtrationem confecimus. Sed quatinus reperire auemus, quænam ex opinionibus falſis, ueræ maxime ſit contraria: illuſtri utemur proloquio: unum ſcilicet uni contrarium eſſe: atque inde deprehendemus negationem cum affirmatione magis, quam contrarii affirmationem confligere.

16 *Si ergo eſt boni quidem, quoniam eſt bonum opinio, alia autem quoniam non bonum eſt: eſt vero quoniam aliquid aliud eſt quod non eſt: neque eſſe poteſt, aliarum quidem nulla ponenda eſt: neque quæcunque eſſe quod non eſt opinantur, neque quęcunque non eſſe quod eſt, infinite enim vtręque ſunt: & quæ eſſe opinantur, quod non eſt, & quæ non eſſe quod eſt.*
17 *Sed in quibus fallacia eſt, hæ autem ſunt ex ijs, ex quibus ſunt generationes, ex oppoſitis vero generationes, quare etiam fallaciæ.*
18 *Si ergo quod bonum eſt, & bonum & non malum eſt, & hoc quidem ſecundum ſe, illud vero ſecundum accidens (accidit enim ei non malum eſſe) magis autem in vnoquoque vera eſt, quæ ſecundum ſe eſt: etiam falſa, ſiquidem & vera: ergo ea quæ eſt, quoniam non eſt bonum quod bonum eſt, eius quæ ſecundum ſe eſt, falſa eſt: illa vero quæ eſt, quoniam malum eſt, eius quæ ſecundum accidens. quare magis erit falſa de bono ea, quæ eſt negationis opinio, quam ea quæ eſt contrarij.*
19 *Falſus autem eſt maxime, qui circa ſingula habet contrariam opinionem. contraria enim eſt eorum, quæ plurimum circa idem differunt: ſi igitur harum contraria eſt altera, magis vero negationis eſt contraria: manifeſtum eſt, quoniam hæc erit contraria.*

Quod ſi ergo una boni opinio uera eſt, quæ dicit, bonum bonum eſt: altera mendax, bonum

non bonum,insuper autem aliud quidpiam est,quod nec bono inest,nec inesse potest.uerbi gratia,bonum malum,bonum fugiendum, bonum damnosum:suntque aliæ etiam propositiones quæ quod inest,non inesse dicunt: ut,bonum non amabile,bonum non eligibile, bonum non utile:quoniam igitur prçter dialecticam regulam uni multa aduersantur,nulla propositionum contraria dicenda est ei, quæ bonum bonum dicit: siquidem omnes aberrarunt. Sed ad cauilli fraudem ascendere opus est,fraudisque causam peruestigare,ac illam,quæ proprie positę sit propositioni contraria proferre. Sed quoniam hæ, quas diximus, multæ propositiones errorem a boni negatione sortitæ sunt (quispiam enim, bonum non bonum esse opinatus, exinde etiam damnosum,malum,fugiendum,non amabile,non eligibile, non utile,suspicatus est) illud bono contrarium uocare decet, quod non bonum est, a quo cætera quoque locum habent, & a quo generationes etiam manant.Nam ex contrariis generationes fluunt. At huic,hominem esse,ista, hominem non esse,opponitur:hicque,album esse,ista,album non esse. Itaque,homo ex non homine ut esset,habuit:& album ex non albo. Et hæc quidem rationis est plaga,& dolosus in philosophiam insultus.Quid uero remedii?quid solutionis?Vnum nempe uni esse opponendum: nec tamen ut unam ex multis propositionibus bono oppositis,hanc quæ dicit, bonum malum, putare:sed alias omnes aberrasse, hanc definitam esse. Quemadmodum etiam negatiua dicitur propositio,ut,bonum non eligibile,bonum non optabile. adhæc, bonum non bonum, sed aliæ aberrarunt,hæc definita est.Itaque bono magis aduersabatur,quæ enunciabat,bonum malum, quam quæ,bonum non bonnm. Via siquidem ad malum,non bonum.Prius enim non bonum sit necesse est,atque ita deinde malum.Sed quoniam nobis integrum est,uos euestigio uulneratos sanare,denuo etiam sauciabimus,nihilo etenim deterius curabimus:sed quam acerbum uulnus cernite,ut nisi ueritate armemini, forsan quoque plaga ad cor peruadat. Etenim quæ per se sunt, his quæ per accidens, esse firmiora uidetis: nec profecto quisquam repugnarit. Per se autem bonum bonum, per accidens bonum non malum, uerax quidem utraque propositio, sed tamen quæ per se,multo ueracior. Rursum,aio,bonum non bonum, bonum malum, utraque falsa:sed quæ per se, longe mendacior. Si igitur bonum, & bonum, & non malum est: ac illud per se,hoc autem per accidens(Nam bono certe quidem accidit non malo esse) multo autem cuiusque negocii propositio per se uerior est:rursumque mendacior,per se(Nam si quæ per se uera est,magis uerax:quæ per se falsa, profecto magis falsa) Ergo propositio quæ bonum non bonum dicit,eius quæ per se est uera,est mendax,scilicet huius, bonum bonum est, enunciationis. Quæ autem,bonum malum,huius quæ per accidens uera,falsa est propositio: illius enim propositionis est,quæ inquit,bonum non malum. Quoniam igitur non bonum,propositionis per se ueræ est,malum autem eius,quæ secundum accidens:profecto ea quæ ueræ per se propositioni obiacet, longe firmior fuerit, quam quæ propositioni per accidens ueraci opponitur. magis autem circa singula frustra est, qui contrariam habet opinionem. Nam contraria plurimum ab seipsis abscedunt, ut quorum transgressum reperire non sit. Si ergo propositioni quæ ait, bonum bonum,ea quæ inquit,bonum malum,contraria est,hæc autem,bonum non bonum,magis etiam aduersatur:hanc fore contrariam manifestum. Scimus etenim plagam hancce toto,ut sic dicam,corpore constitisse: ut nesciamus ubi quidem uulnus sit, & ubi uibex: uel ubi quid ruptum,ubi quid etiam subsaniosum,& maleficium. Sed neque oleo, neque malagmate egebimus, Oleum siquidem, quod magis est mentitus qui bonum malum dixit, quam qui bonum non bonum. Qui enim bonum non bonum, ait, sinceritatem duntaxat bonitatis subuertit. indicatque bonum ab absoluta bonitate excidisse: non tamen in contrarium protinus habitum desciuisse. Qui contra, bonum malum, non solum habitus sinceritatem demolitur, sed etiam contrarium attribuit. Et malum quidem finitum est, & limite inclusum, ulteriusque progredi non licet. At non bonum informe, & tanquam quædam ad limitem & terminum est uia. Ad hæc non bonum neutrius est sane conditionis. Malum autem conspicue iuxta actionem bono opponitur. Magis ergo, ut ita dicam, specificatum & limitatum confligit, cum eo quod aduersam speciem & obiacentem terminum habeat, quam informe, & ad terminum tendens, scilicet ad malum. Porro sic etiam ratiocinabimur, prius confessi quasdam esse propositiones, in quibus duplices opiniones, nonnullas in quibus unam comprehendamus: adhoc affirmationum,



in quibus bifariam opinamur, tales etiam esse negationes: affirmationum uero quarum una est opinio, & incomplexa: negationes quoque simplicitatem pariter eandem obtinere. Igitur propositio quæ dicit, bonum bonum est, simplex est: nullius etenim alterius uel qui dixit, uel qui audiit, satagit: at opinio huius orationis quæ ait, bonum malum est, complexa est. Nam qui audiit, statim duas forte res accipit, &, malum esse, &, non bonum. Simplici ergo propositioni, quæ inquit, bonum bonum est, simplex rursum propositio, quæ dicit, bonum bonum non est, opponatur: at huic complicitæ enunciationi quæ inquit, bonum malum est, opponitur, quæ inquit, bonum non malum est. Cæterum non credibilis hæc uidetur aggressio. Nam idcirco ratiocinationi forte adieci. Sed quispiam obiiciat, quamobrem, o Philosophe, bonum bonum est, simplicem dicis orationem? Nam qui audiuit bonum esse bonum, statim non esse malum suspicatus est. Ad aliam igitur aggressionem transeundum, quæ nihilo secius & ipsa improbabitur: non nihil tamen aduersum sublationem contumax renitetur. Quod si uel obscure, uel defecte enunciaui, ne uobis id curæ sit. Aliquis enim qui eam fortassis illustret, his extrinsecus adiectis, inuenietur: in nominibus uidelicet in quibus contrarietas non deprehenditur, ex negationibus generationes confici. Nam ex non homine, hominem: & ex non bono, bonum generauimus. ac si quis in hisce ueram affirmationem falso aduersari uellet, per negationem contrarietatem faceret, ut huic ueræ affirmationi, Socrates homo est, falsam negationem, Socrates homo non est, opponeret.

40 *Amplius. Si etiam in alijs similiter oportet se habere, & hoc modo videbitur bene esse dictum. Aut enim vbique ea quæ est contradictionis, aut nusquam: quibus vero non sunt contraria, de illis quidem falsa, ea quæ est veræ opposita, vt qui hominem non putat esse hominem, falsus est: si igitur hæ contrariæ sunt, etiam & aliæ quæ sunt contradictionis.* 41 *Amplius. Similiter se habet opinio boni, quoniam bonum est, & non boni, quoniam non bonum est & præter has boni, quoniam non bonum est: & non boni quoniam bonum est. illi ergo quæ non boni, quoniam non bonum, veræ opinioni quæ est contraria? Non enim ea, quæ dicit, quoniam malum est, simul enim aliquando erit vera, nunquam autem vera veræ contraria est, est enim quoddam non bonum, malum, quare contingit simul esse veras. At vero nec illa quæ est, quoniam non malum, vera enim & hæc, simul enim & hæc erunt, relinquitur igitur ei, quæ est non boni, quoniam non bonum est, contraria ea quæ est non boni, quoniam bonum est, falsa enim hæc. Quare & ea quæ est boni, quoniam non bonum est ei, quæ est boni, quoniam bonum est.* 42 *Manifestum ergo est quoniam nil interest, nec si vniuersaliter ponamus affirmationem, vniuersalis enim negatio contraria erit, vt opinioni quæ opinatur, quoniam omne quod est bonum, bonum est: ea quæ est, quoniam nihil eorum, quæ bona sunt, bonum est, nam ea quæ est boni, quoniam bonum si vniuersaliter sit bonum: eadem est ei quæ opinatur, quoniam quicquid bonum est, quod bonum est, hoc autem nihil differt ab eo quod est: quoniam omne quod est bonum, bonum est, similiter autem & in non bono. quare si in opinione sic se habet, & sunt hæ quæ sunt in voce affirmationes & negationes, notæ earum, quæ sunt in anima, manifestum est quoniam affirmationi contraria quidem negatio est, quæ de eodem vniuersaliter: vt ei quæ est quoniam omne bonum, bonum est, vel quoniam omnis homo bonus, ea quæ est quoniam nullum, vel nullus, contradictoriæ autem quæ est quoniam non omne aut non omnis.* 43 *Manifestum est autem quoniam & veram, veræ non contingit esse contrariam, neque opinionem, neque contradictionem, contrariæ enim circa idem opposita sunt. Circa eadem autem contingit verum dicere eundem: simul autem non contingit eidem inesse contraria.*

Postquam igitur istud extrinsecus excogitasti, ex hoc aggressionis continenter & adhæse initium intelliges (quod si in aliis) ac subdistinctionem nota (similiter habere oportet) ac pun

ctum medio amplius ducito. Nondum enim absolutum est, ob id quod inducitur (& hoc modo uideatur bene esse dictum) Sensus autem, quod si in aliis nominibus, quibus contrariæ non sunt appellationes, contradictione utimur, in propositionibus contradicentes: similiter item in nominibus in quibus contraria reperiuntur uocabula sese habere decet. Cur enim illuc negatio, huc affirmatio assumenda? aut etenim quocunque contradictio, aut nusquam trahatur: quotquot autem nominibus aduersæ non sunt appellationes, de illis utrisque etiam, quę ueræ contraiacet, est falsa. huic siquidem ueræ propositioni, Socrates homo est, falsa opponitur, Socrates homo non est. Et qui hominem non hominem esse suspicatur, consimiliter aduersus eum falsus est, qui esse arbitratus, uerum dicit. Quoniam igitur contrarietas ex eo, quod propositionum altera mentiatur, altera uerum perhibeat, designata est, contrariæ etiam istæ: consimiliter reliquæ item contradicentes. Nequam ergo ratiocinatio huiuscemodi. Cæterum solutio, nequaquam affirmationi negationem esse contrariam: quoniam contraria specie certa esse circunscripta debent. Quod autem non est, omnisque adeo contradictio, hoc ipso quod priuatorie efferatur, sine specie est. Sola igitur contraria, quæ specie definita sunt, ut, album, & nigrum: bonum, & malum. Itaque ubi nominum nobis contrariorum copia suppetit, illinc etiam generationes molimur: ubi non suppetit, penuria compulsi, ad contradictiones demum, quæ priuationis instar habent, uenimus. Sed istud quidem ut generose præterea huc inductum est, ita generosius etiam est dilutum. Nunc insuper exercitationis tanquam Colophon, inaspectabilis ac tremenda speculatio inuehatur. Duæ ergo post affirmationem & negationem fiant oppositiones: altera finiti subiecti, altera infiniti, ut bonum bonum est, bonum bonum non est, ista quidem oppositio una finito prædita subiecto: altera autem, non bonum bonum est, &, non bonum bonum non est. Experiamur ergo in propositionum aliqua, nempe negatiua, quæ subiecto prædita est infinito, quænam ex aliis propositionibus illi sit aduersa. Nam propositioni quæ ait, non bonum bonum non est, ea quæ asseuerat, non bonum malum est, aduersari uidetur: attamen in quibusdam simul uerax est, hoc est in his quæ contrariorum sunt habituum capacia. Nam quoddam est non bonum, malum. Quoniam ergo hæc simul ueridica est, igitur quæ dicit, non bonum non malum est, aduersatur. Sed & hæc in quibusdam etiam uera simul est. in his enim quæ contrariorum minime susceptiua sunt, quæ dicit, non bonum non malum est, cum ea quæ ait, non bonum non bonum est, simul uerax est. Nam in ligno utrumque uerum est. Confutatis igitur duabus hisce propositionibus, reliquum, ut quæ dicit, bonum non bonum est, mentiatur. Quoniam ergo cum negatione ex infinito subiecto, nimirum aiente non bonum bonum non est, sola quæ dicit, non bonum bonum est, depugnat: quadam etiam consecutione cum simplici negatione, quæ ait, bonum bonum non est, sola, quæ inquit, bonum bonum est, decertat: non etiam quæ dicit, bonum malum est, neque item quæ, bonum non malum est. Hæc, inquam, est illa aspectu horrenda dubitatio. Huiusmodi autem solutio, in secunda utique oppositione, sic sese habere, uti diximus, licere: propterea quod infinita in negatione subiecta sumimus: infinitorum autem subiectorum & prædicatorum in nominibus non sunt contrarietates: ideoque illi propositioni quæ ait, non bonum bonum non esse, eam quæ dicat, non bonum bonum esse, aduersari pronunciauimus. At in simplicibus propositionibus, quandoquidem finita subiiciuntur nomina, ut, bonum bonum est: finitorum autem nominum sunt contrarietates: idcirco non aduersari, bono non bonum, sed malum diximus. Sed forsitan aliquis me appellabit, uetus iam promissum repetens, meque initio professum esse dicet, in omnibus propositionibus, tum determinatis, tum indefinitis ostensurum, magis esse contrariam affirmationi negationem, quam contrariam affirmationem: in parte autem duntaxat me pollicitationem exoluisse, cum uniuersales non adiecerim determinationes. Id tamen quasi aliud agendo præstiti, articulorum additamentis uniuersalium uice determinationum usus. Alioqui si conscius mihi fuissem, in uniuersalibus determinationibus aliud, quam ꝙ in indefinitis docuimus, reperiri, rationis sane fuisset etiam illarum nominatim meminisse. Manifestum autem nihil interfuturum, ne si uniuersalem quidem affirmationem ponamus. dicitur uero, omnis homo, omne bonum. Nam uniuersalis erit negatio tali rursum contraria determinatę affirmationi. Quoniam autem, ut sæpenumero dixi-

mus,ab internis enunciatiui sermones generantur, & ad illos, ut authores, referuntur: in opi/nionibus ante sermo nobis exercendus est. Opinioni ergo quæ omne quod bonum sit, bonum arbitratur, hæc nullum eorum quæ bona sunt, bonum esse, aduersatur. Quod autem arti/culi cum propositionibus constructi, in totum prædicatum de subiecto prædicari indicent, uel cęco, ut in parœmia, clarum est: unde mortalem esse hominem dicimus: hominem autem bo/num: præfixo illic articulo, hic sublato. Quamobrem? Quoniam illic mortale de omni homi/ne prædicatum, articulum id ipsum significantem, adsumpsit: hic articulus a bono sublatus est, quoniam aliqui homines boni, sed non omnes. Prius igitur confitebimur quicquid bonum sit bonum esse. Huic autem æquiparatur omne bonum bonum est: quod quoniam dedimus, etiam opinionem quæ, bonum bonum esse opinatur (cum præsertim ob articuli additionem, uniuersale acceptum sit bonum) cum ea propositione quæ quicquid bonum sit bonum esse di/cit, eandem ponamus. Atqui hæc cum, omni, æquipollere concessa est. Quare propositio quæ cum articulo struitur, eadem est cum ea, quæ uniuersalem obtinet determinationem. Tu ue/ro sermonis etiam in non bono, periculum facito, sic ratiocinans, non bonum, idem esse cum hoc, quod non bonum: id autem æquiparatur, isti nihil bonum: idem igitur non bonum & nihil bonum. Nam si,a,omni,b,inest,b,autem omni,g:a,igitur etiam omni g. Vobis enim oppi/doquam harmonico primæ syllogismi figuræ cantico proludere debuimus. Quando ergo in opinionibus sermonem adamussim excussimus, sunt autem, ut didicimus, tum affirmationes, tum negationes quæ in uoce sunt, earum notæ: manifestum etiam affirmationi negationem de eodem uniuersaliter enunciatam esse contrariam, ut huic, omne bonum bonum, contraria est ista, nullum bonum bonum: huic uero, omnis homo bonus, contradictoriæ ista, non omnis homo bonus. Nos autem par est ratiocinationi a maiori adhærescere, in qua quæ simul ueraces sunt, minime contrarias esse, monstrauimus. Nam quia contraria, sub opposita redu/cuntur, opposita autem ut simul uera sint fieri non potest: ne contraria quidem unquam esse simul uera poterunt. Eundem autem, modo affirmantem, modo negantem, circa communia subiecta simul uerum enunciare contingit: quemadmodum qui ait, non bonum non bonum est,&,non bonum malum non est, circa communia subiecta (nam in utraque propositione in/finita sumpta sunt) simul uerum extulit. Siquidem in eo, quod contrariorum capax non est, utrumque uerum esse potest. Simul autem ut contraria eidem subiecto insint, fieri non potest. Nam non bonum, bonum non est, &, non bonum bonum est, in nullis omnino rebus simul ueridica erunt. In hunc ergo modum in facundo hocce theatro, imposita mihi Aristotelis per/sona, illius commentationem de enunciatiuis orationibus desultaui: collimate omnino & conie/cte, haud equidem dixerim, sed tamen sagacissime & generosissime. Fortasse uero & alii, si meo iudicio subscribent, bellissime in Aristotelico dogmate philosophabuntur. Quoad igitur asse/qui potui sedulo hominis grauitati incumbens, nihil equidem celaui.

FINIS PARAPHRASIS.

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G.

Omnes sunt Duerni.

Venetiis apud Hieronymum Scotum. M. D. X L I.